Clericus solide institutus

juxta doctrinam S. Pauli.

Clericus solide institutus

juxta doctrinam S. Pauli,

seu:

Series meditationum de nonnullis B. Pauli Epistolis, in usum Cleri.

Auctore

Jac. Jo. Zeij, S.J.

Scio cui credidi.

Leiden — G. F. Théonville

1910.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California
246.731
Z34
46454

Evulgetur.

Hag. Com.
die 9 Oct. 1910.

P. Zwart,
Libr. Censor.

Cum permissu Superiorum.

Sacerdotali Cordi
Domini Nostri Jesu Christi
hoc opus
grato animo
dedicatur.

Drukkerij Théonville, Steenschuur 9, Leiden.

Sigla et abbreviationes.

I, II, III, etc. indicat: puncta meditationis.
1 indicat: quae magis pertinent ad memoriam.
2 » » » » » intellectum.
3 » » » » » voluntatis affectus.

h. l.	significat:	hoc loco vel: (in) hunc locum; indicat nimirum ubi quaerenda sint verba citata.
C. a. L.	»	commentarios in S. Scripturam Cornelii a Lapide.
S. Th.	»	Sancti Thomae Aquinatis expositionem in epistolas omnes divi Pauli Apostoli.
1. q. 1. a. 1 ad 1.	»	hunc locum in Summa Theologica ejusdem.
v. St.	»	J. A. van Steenkiste.
B. a Pic.	»	triplicem expositionem B. Pauli Apostoli auctore R. P. Bernardino a Piconio.
Kn.	»	Jos. Knabenbauer.
Ml.	»	Migne. Patrologia latina.
Mg.	»	Migne. Patrologia graeca.
300 d. t. q.	»	indulgentias 300 dierum toties quoties lucrandas.
Imit.	»	»De imitatione Christi Th. a Kempis".
Imit. S. C. J.	»	»De imitatione S. Cordis Jesu R. P. Arnoldi.

Corrigenda.

Pag. 43 versu 25° pro (6, 19) legatur: (67, 19).
Pag. 101 versu 13° pro »scibentem"
legatur: »scribentem".

Monitum praevium.

1. **Finis** hujus operis est, ut juventur ii clerici, qui meditationis quotidianae materiam e Novo Testamento desumere cupiunt, nec tamen in intellectu sacrae Scripturae, neque in arte meditandi ita sunt versati, ut iis in praeparationem sufficiat prae oculis habere nudum textum vulgatum.

Eo autem fine ex omnibus Novi Testamenti libris tamquam specimina rationis meditandi selectae sunt epistolae, utpote intellectu difficiliores, et ex his rursus, quae inscribuntur: ad Ephesios, ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos, quia in his sibi proposita habet clericus tum summam scientiae sacerdotalis (in epistola ad Ephesios), tum brevem conspectum virtutum sacerdotalium (in epistolis ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem), tum ideale exemplar sacerdotis in Christo Jesu, Pontifice nostro, (vide epistolam ad Hebraeos).

2. **Usus** hujus operis est hic:

a. pridie vespere, quando praeparare incipit

clericus meditationis puncta pro sequenti die, legat attente aliquot versus sacrae Scripturae, et si praevideat, se jam sufficientem habere materiam, qua pascantur èt memoria èt intellectus èt maxime voluntas, ita, ut finis meditationis attingi possit, **non** utatur hoc libro.

b. si nihil ei in praeparatione deest, nisi aptitudo statuendi puncta quaedam determinata, ex hoc libro nulla re utatur nisi iis, quae notata sunt *in margine* juxta textum Vulgatae.

c. Si difficultatem tantum habeat in statuendis *praeludiis*, inspiciat, num praeludia in hoc libro notata ei placeant, vel eum juvare possint, vel ei fortasse aliqua alia bona praeludia insinuent; et reliqua ipse faciat;

d. si aliquorum verborum *significatio* eum latet, vel *sensus* alicujus versus ei obscurus est, inspiciat puncta tradita in hoc libro;

e. qui sequi vult *totam* meditationem sicut in hoc libro indicata est, animadvertat oportet:

1°. eo fine disposita esse omnia, ut *ab ipso* meditante evolvantur in *proprium* usum spiritualem; omittat ergo cum *plenissima* libertate, quae *sibi* minus utilia videntur, et mutet, quae mutare placet.

2°. non sine ratione materiam meditationis pluries ita esse accumulatam, ut vix possibile videri possit, hanc inter spatium semihorae vel etiam unius horae evolvere; ex

doctrina enim S. Ignatii Loyolae et ex experientia constat, quam sit utile redire per aliquos continuos dies in eandem materiam, et, singulis vicibus addendo aliquid novi, magis ac magis inculcare easdem veritates et renovare semper firmius eadem proposita.

3⁰. in ipsa meditatione servanda esse quae sequuntur:

ingressus fit: *a.* brevi consideratione praesentiae Dei et adoratione Ejus divinae Majestatis; *b.* oratione praeparatoria, quae quotidie potest esse eadem, et qua petitur illuminatio intellectus et voluntatis promptitudo; *c.* tribus **praeludiis**, quorum primum consistit in brevi conspectu materiae meditationis, ut facili quadam formula retineatur qua de re agendum vel quid faciendum sit in sequenti meditatione; secundum in compositione loci, qua meditans sibi ob oculos ponit aliquod factum, aliquem locum, aliquam historiam, cum meditationis materia connexam. Haec industria »fit ad imaginationem aliquantum juvandam, et ad amovendas facilius distractiones." (J. Roothaan). Eo igitur tendere debet, ut fugax hominis phantasia efficacius reducatur et ligetur. — Ut tamen haec compositio loci sit quantum fieri potest juxta veritatem, saepe in hoc opere, praemittitur vel inseritur quaedam nota historica. — Tertium praeludium

est petitio gratiae particularis. *d.* additur »**tessera**" sive oratio jaculatoria, materiae meditationis conformis, qua, iteratim repetita, tum in ipsa meditatione, tum ante et post eam, finis obtinendus semper ante oculos habeatur et in corde foveatur.

progressus meditationis fit applicatione trium potentiarum, memoriae, intellectus, voluntatis. »Applicandae autem sunt omnes tres in quovis puncto; et unum etiam punctum potest esse materia sufficiens meditationis". (J. Roothaan). » *Voluntatis* officium in meditatione duplex distingui potest: nempe *affectus* pios excitare, et resolutiones bonas seu *proposita* formare voluntas debet. Atque haec duo sunt ita essentialia meditationi, ut sine his meditatio non sit futura oratio mentalis, quemadmodum esse debet, sed mera speculatio vel studium." (id.)

egressus fit recapitulatione aliqua, et colloquio. »**Colloquium** fit proprie loquendo, sicut amicus loquitur ad alterum, vel servus ad dominum suum, modo petendo aliquam gratiam, modo incusando se ipsum mali alicujus commissi, modo communicando res suas (cogitationes suas, dubia sua, consilia sua, statum animae suae, etc.) et petendo consilium in illis . . ." (S. Ign.) In fine dici potest aliqua **oratio vocalis** (vide p. 474).

4⁰. Saepe perutile esse, singulas voces alicujus versus vel pericopes contemplari juxta illum, quem S. Ignatius vocat »*secundum modum orandi*", qui consistit in consideratione singularum vocum tamdiu, quamdiu invenit meditans significationes varias, comparationes, gustum et consolationem in considerationibus pertinentibus ad unamquamque vocem.

5⁰. numquam fere meliorem finem meditationis intendi posse, quam meditantis ipsius materiam examinis particularis.

3. **Utilitas** meditandi Novum Testamentum unicuique clerico in comperto est. Quantopere haec meditatio omni viro pio christiano competat, elucidari potest quibusdam antiquissimorum Patrum dictis:

1⁰. Tertullianus in opere »Apologeticus adversus gentes pro Christianis", inter annos 197 et 212, dicit (Ml. 1, 489) Christianos in adversitate corporum consolari impletione eorum, quae in S. Scriptura praedicantur: »sed etsi aliqua nos (Christianos) quoque perstringunt ut vobis (gentilibus) cohaerentes, laetamur magis recognitione divinarum praedicationum, confirmantium scilicet fiduciam et fidem spei nostrae."

2°. S. Cyprianus, in testimoniorum libro tertio pro Judaeis (Ml. 4, 677), circa annum 248, vocat sacram Scripturam »divinae plenitudinis fontes."

3°. S. Hilarius, circa annum 360, scribens tractatum in 135um psalmum, ait: »quidquid in his (caelestibus eloquiis) est, excelsum, divinum, rationabile et perfectum esse existimetur." (Ml. 9, 768).

4°. S. Ambrosius, circa annum 386, ait in psalmi 37 enarratione (Ml. 14, 1012): »Deus sicut terram istam salubres herbarum atque arborum succos ferre praecepit, quibus carnis vulnera curarentur; ita etiam praeceptis salutaribus replevit divinarum seriem Scripturarum, quibus infirmitas animae sanaretur. Itaque, quam grave est, ut muta animalia medicari sibi noverint, et vulneribus suis herbas salubres requirant, deligere non refutent; et hominum industria non requirat, quibus etiam Medicus est missus, qui medicinae salutaris in veteribus Scripturis semina demonstraret, et nova Ipse deferret?"

Et alibi, in expositione psalmi 118 (Ml. 15, 1517) ad versiculum 171: »habet verbum Dei epulas suas: alias fortiores, ut est Lex et Evangelia, alias suaviores, ut sunt psalmi et Cantica canticorum."

Nullibi clarius hic Pater dicit id quod intendimus, quam in enarratione psalmi 48 (Ml. 14, 1157): »omnes aedificat Scriptura divina. In ea invenit unusquisque, quo aut vulnera sua curet, aut merita confirmet."

En, quomodo alibi (in expositione psalmi 118, ubi data occasione tractat verba psalmi 22, 2: »in loco pascuae": Ml. 15, 1390 et 1391) sicut postea Thomas a Kempis, in Imitatione Christi l. 4, c. 11, Scripturam juxtaponat Sanctissimae Eucharistiae: »bona pascua divina Sacramenta sunt. Carpis illic novum florem qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, hoc est, splendorem aeternitatis. Carpis rosam, hoc est, Dominici Corporis Sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt Scripturarum caelestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur; cum ea quae scripta sunt degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur."

Tandem ex eodem Patre habemus, cur praestet clerico meditari Novum praesertim Testamentum, cum respectu iterato ad Vetus (id quod in hoc libro efficere conati sumus). In libro enim de interpellatione Job et David, l. 2, c. 4, occasione tractans ps. 41, 8: »abyssus abyssum invocat", sic ait: »non praevalebat vetus Testamentum ad istius mundi redemptionem;

invocabat, et quasi ad auxilium arcessebat Novum Testamentum. Clamabat Lex annuntians Evangelium. Erat enim semiplena; et ideo erat necessarius, ut veniret, qui Legem impleret. Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti, qui venit Legem implere, non solvere. Quomodo abyssus Lex, audi dicentem: judicia tua sicut abyssus multa (ps. 35, 7). Simul hinc intellige utrumque unius esse Sapientiae Testamentum, quod quasi suum venit implere. Cataractas autem intelligimus profunda verborum et vim caelestis eloquii: quae fluxere nobis sicut imber e caelo. *Ergo remedium taediorum omnium Christus et Scriptura divina: atque in tentationibus perfugium.*"

4. **Fontes** hujus libri fuerunt scripta exegetarum et ascetarum tum veterum, tum recentissimorum, et Summorum Pontificum Leonis XIII et Pii X.

Meditatio 1.

Eph. 1, 1—2.

1. Inscriptio et salutatio. 1 Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu. 2 Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

Praeludium 1: de inscriptione et salutatione, de fine scribendi et divisione, de utilitate hujus epistolae.

Praeludium 2: [S. Paulus anno 62, postquam exaravit epistolas ad Philemonem et ad Colossenses (Col. 4, 7—9 et Eph. 6, 21), scripsit epistolam, quae dicitur ad Ephesios, ut tres hae a Tychico, quem comitaturus erat Onesimus, ferrentur Colossas et Ephesum et ultra]. Videbo S. Paulum, in carcere Romano senem fere sexagenarium, hanc epistolam, Spiritu Sancto sibi afflante, conscribentem.

Praeludium 3: petam triplicem gratiam: ut numquam obliviscar me esse apostolum *Jesu Christi per voluntatem Dei*; magis in diem cognoscam et imiter S. Paulum, qui tam eximie imitatus est Jesum; bene intelligam et perspiciam verba Dei in hac epistola nobis prolata.

Tessera: *apostolus Jesu Christi!*

I. Inscriptio et Salutatio (v. 1 et 2).

Verba perpendam: *Paulus apostolus Jesu Christi*: hoc vult esse, nil aliud... et ego?...

per voluntatem Dei: numquam obliviscitur admirandae suae vocationis in via Damasci; ab ista vocatione pendet ejus auctoritas. Sic ego numquam oblivisci debeo, quo animo ingressus sim statum clericalem, ut, si non pure propter Deum, addam nunc fervore meo quidquid defuerit; si pure propter Deum et vere vocatus, crescere coner, decrescere me non sinam.

omnibus Sanctis: i. e. Deo dicatis, ad Dei cultum separatis, non solum Christianis ex Israelitis, sed omnibus, qui per Baptismum a mundo separati, Deo dediti sunt, quorum character est, quod sunt sanctificati in Christo Jesu (1 Cor. 1, 2) .... Num ego, qui alios hanc sanctimoniam docere, ad illam exhortari debeo, ipse illam moribus et vita exprimo?...

fidelibus in Christo Jesu: qui sancti sunt, vitam agunt secundum principia revelationis a Jesu nobis factae.... Ex quo principio profluunt meae, etiam minimae, actiones quotidianae?

Gratia vobis et pax, quam utramque jam habetis per Baptismum et coöperationem vestram cum gratia actuali, augeatur, multiplicetur; quod etiam non fit sine auxilio *a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo* .... Num ego semper coöperor divinis inspirationibus?

II. Finis scribendi et divisio.

1. *a.* S. Paulus vult Christianos Asiae-minoris, quorum major pars non ab ipso sed ab ejus discipulis instructi erant, èt in fide confirmare, magisque instruere, èt adhortari ad vitae sanctimoniam.

b. In parte dogmatica (c. 1—3) exponitur beneficium redemptionis (1, 3—19), Deique magnitudo, in hoc beneficio elucens, describitur per comparationem cum gloria Christi (1, 20—2, 10) et cum pristino statu hominum (2, 11—23); hujusque doctrinae confirmatio fit per expositionem auctoritatis ipsius Pauli et per ferventem precationem (3, 1—21).

In parte paraenetica (c. 4—6, 19) exponitur, quaenam debeat esse Christianorum vita publica (4, 1—16), privata (4, 17—5, 20), domestica (5, 21—6, 9); et additur instructio de pugna spirituali.

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* numquid ego aliud intendere debeo, tum in privato, tum in publico sermone, nisi confirmare in fide, exhortari ad sanctimoniam? Sed quomodo dabo, quod non habeo? *b.* Quantum juvat, in expositione fidei et legis moralis recto ordine procedere! quantum juvat tum rudes, tum doctiores! Sed id praestare non valebo sine multo studio, intensa meditatione, oratione continua.

3. *Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea. Declaratio sermonum tuorum illuminat: et intellectum dat parvulis* (*ps. 118, 129 s*).

III. Utilitas hujus epistolae.

1. *a.* »Est porro epistola plena sublimibus sententiis et dogmatibus" (S. J. Chrys. in prol.)

b. In nulla fere epistola tam distincte, compendiose tamen, enuntiat, quid apostoli Jesu Christi debeant docere et docere ut servent homines (Mt. 28, 19 s).

c. In hac epistola tradit: conceptum idealem Ecclesiae (1, 22; 2, 20; 4, 15 s; 5, 24—27) — pulcherrimam doctrinam de matrimonio (5, 22 ss) — plures figuras, imagines, comparationes, easque omnes elegantissimas (arrha, sigillum, caput, fundamentum, lapis angularis, vestimentum, etc.)

2. Considerans has utilitates, addere possum hanc generalem magis, quam indicat S. Hieronymus initio commentarii sui in hanc epistolam: »Si quidquam est .... quod in hac vita sapientem virum teneat, et inter pressuras et turbines mundi aequo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor, meditationem et scientiam Scripturarum. Cum enim a ceteris animantibus hoc vel maxime differamus, quod rationale animal sumus et loqui possumus: ratio autem

omnis et sermo divinis libris contineatur, per quos et Deum discimus, et quare creati sumus non ignoramus".... (Ml. 26, 439).

3. Num satis temporis quotidie adhibeo ad legendam, meditandam S. Scripturam?

Colloquium: triplicem gratiam, in praeludio tertio indicatam enixe petam a S. Paulo, a corde purissimo Matris-Virginis, a Corde amabilissimo Jesu.

Meditatio 2.

Eph. 1, 3—14.

I. Hymni gratiarum actionis: summa,

3 Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione Spirituali in coelestibus in Christo,

II. pars prima: beneficia Dei Patris,

4 sicut elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu Ejus in charitate. 5 Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in Ipsum, secundum propositum voluntatis suae, 6 in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.

III. Filii,

7 In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae Ejus, 8 quae superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia; 9 ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum Ejus, quod proposuit in eo, 10 in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt, in Ipso: 11 in quo etiam et nos sorte vocati

sumus, praedestinati secundum propositum Ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae: 12 ut simus in laudem gloriae Ejus nos, qui ante speravimus in Christo:

IV. Spiritus Sancti.

13 in quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (evangelium salutis vestrae), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, 14 qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae Ipsius.

Praeludium 1: meditabor hymnum, quo — excepta oratione Jesu post ultimam coenam, Jo. 17 — vix sublimior et pulchrior invenietur — hymnum gratiarum actionis Deo Patri (v. 3—6), Jesu Christo (v. 7—12), Spiritui Sancto (v. 11 et 14): doxologiam pulcherrimam.

Praeludium 2: videbo »quomodo consisto coram Deo Domino nostro, Angelis, et Sanctis interpellantibus pro me" (S. Ign. Ex, Sp. cont. ad am. sp.).

Praeludium 3: petam a Matre divinae gratiae, ut mihi profundissima meditanti mysteria Dei, assistat, adimpleatque quidquid deest adorationi et gratiarum actioni meae.

Tessera: *v. 3.*

I. Hymni Summa (v. 3).

1. In memoriam revocabo: *a.* quid faciendum? benedicendum, laudibus extollendum — *b.* Quis? Deus. — *c.* Consideratus sub quo

respectu? ut est *Pater Domini nostri Jesu Christi*, veri hominis sicut veri Dei. — *d.* Cur? quia *in Christo* gratificavit, ditavit, *benedixit nos.* — *e.* quantopere? *in omni benedictione*, omni dono gratis dato, nam dedit Filium, gratiam sanctificantem, coelum. — *f.* unde venit haec benedictio? e coelo. — *g.* Quomodo nobis communicatur? a Spiritu Sancto; ideo dicitur illa benedictio Spiritualis.

2. Quid de hoc est considerandum? Quis unquam sic benedixit?.... Quid sum ego et quid est Deus?!.... Metiar quantum possum illam distantiam, ut humilius et ferventius gratus adorem Eum cum sanctis affectibus prolatis in psalmo 102:....

3. Ecce Deus in coelo: [19] *Dominus in coelo paravit sedem suam: et regnum Ipsius omnibus dominabitur.* Invitabo angelos et omnem creaturam ad Eum laudandum: [20] *benedicite Domino omnes angeli Ejus: potentes virtute, facientes verbum Illius, ad audiendam vocem sermonum Ejus.* [21] *Benedicite Domino omnes virtutes Ejus: ministri Ejus, qui facitis voluntatem Ejus.* [22] *Benedicite Domino omnia opera Ejus: in omni loco dominationis Ejus, benedic anima mea Domino!*

II. Quid nobis Pater (v. 4—6).

1. In memoriam revocabo haec: *a.* quid fecit Pater? *elegit,... praedestinavit, gratificavit.* — *b.* ad quid *elegit? ut essemus sancti*

et immaculati in conspectu Ejus, ita ut nihil inquinati in nobis inveniat, *in charitate*, in qua ut in proprio elemento sanctitas et puritas se perficiant. — *c.* ad quid *praedestinavit?* ut simus *per Jesum Christum* Ejus (*in Ipsum*) filii adoptivi. — *d.* ad quid *gratificavit?* ut laudetur in tempore et in aeternitate gloria Dei — id est infinita Ejus perfectio, speciatim justitia et misericordia divina, se manifestans in redemptione, in dono hoc gratis dato. — *e.* quae tandem ultima ratio sufficiens horum beneficiorum? *propositum voluntatis Suae.*

2. Quid de hoc est considerandum? Quid esset creatura humana sine gratuito hoc proposito voluntatis Dei? ....

3. [15] *homo, sicut foenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.* [16] *Quoniam Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.* [17] *Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes Eum. Et justitia Illius in filios filiorum,* [18] *his qui servant testamentum Ejus: et memores sunt mandatorum Ipsius, ad faciendum ea (ps. 102).*

III. Quid nobis Filius (v. 7—12).

1. In memoriam revocabo: *a.* Quis? dilectus Filius Dei (v. 6). — *b.* Quid? In Eo, i. e. in unione cum Eo, *habemus redemptionem*, hujusque effectum: *remissionem peccatorum*;

habemus etiam sapientiam (v. 8) et in praxi prudentiam (v. 8). — *c.* quomodo facta est redemptio? *per sanguinem Ejus.* — *d.* causa? divitiae *gratiae ejus.* — *e.* causa donorum sapientiae et prudentiae? quia abundanter communicavit nobis gratiam. — *f.* qualis sapientia et prudentia? omnis, i. e. quae superat omnem aliam, quae omnia ducit ad finem. — *g.* ad quid dedit hanc sapientiam? *ut notum faceret nobis* mysterium aliquod, ab aeterno a divina voluntate decretum, per cujus exsecutionem post redemptionem haec futura esset oeconomia totius mundi, ut *omnia, quae in coelis et quae in terra sunt,* in unum corpus conjuncta, unum caput, culmen et centrum haberent *in Christo* .... *in Ipso.*

2. Quid de hoc est considerandum? Sic reapse factum esse; etenim: v. 11: *in quo etiam et nos* (cfr. *et vos*, v. 13), i. e. Judaei-Christiani, *sorte vocati sumus* (gr. hereditate donati sumus), *praedestinati secundum propositum Ejus*, non secundum merita nostra; *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis Suae*, cui ergo plene fidere possumus .... Et finis iterum est: *ut simus in laudem gloriae Ejus nos,* Judaei-Christiani, *qui ante* alias gentes *speravimus in Christo.* Quo animo debeo his consideratis in Missa dicere: »per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sancti † ficas, vivi † ficas,

bene † dicis, et praestas nobis. Per Ip † sum, et cum Ip † so, et in Ip † so est Tibi Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritus † sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum."

3. Laudabo redemptionem: [11] *quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.* [12] *Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.* [13] *quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se:* [14] *quoniam Ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam pulvis sumus:....* laudabo nobis notam factam oeconomiam salutis: [6] *faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.* [7] *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël voluntates suas.* [8] *Miserator, et misericors Dominus: longanimis, et multum misericors.* [9] *Non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur.* [10] *Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis (ps. 102).*

IV. Quid nobis Spiritus Sanctus (v. 13 et 14).

1. *a.* Ad quos dirigitur nunc oratio? ad Christianos ex gentilibus. — *b.* quid iis dicitur ut in laudem et gratiarum actionem erumpant? *et vos*, in Ipso Jesu Christo, *credentes signati*

estis (impositione manuum in Sacramento Confirmationis) a *Spiritu .... Sancto*, qui promissus erat a Christo. — *c.* quid necessario praecessit huic signationi? audistis revelationem, laetum nuntium, salutem vestram annuntiantem, nam *fides ex auditu* (*Rom. 10, 17*). — *d.* quid vobis (et nobis) est Spiritus Sanctus? (gr.) arrha *hereditatis nostrae*, »hic autem Spiritus datur quasi pars et praegustus futurae nostrae hereditatis et felicitatis" (Corn. a Lap.). — *e.* quo fine signavit nos Deus? finis proximus: *in redemptionem acquisitionis*, ut redimeret populum sibi acquirendum, quia sibi electum; finis ultimus: *in laudem gloriae Ipsius Dei*, Sanctissimae Trinitatis.

2. Recolam, quid acceperim a Spiritu Sancto — quomodo habitaculum sim Spiritus Sancti — quomodo adhuc coluerim Spiritum Sanctum. Benedicam Ei, in anima mea praesenti:

3. [1] *Benedic anima mea Domino; et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto Ejus.* [2] *Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones Ejus.* [3] *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui sanat omnes infirmitates tuas.* [4] *Qui redimit de interitu vitam tuam: Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* [5] *Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilae juventus tua.*

Colloquium: recapitulando tria maxima mysteria in hoc hymno laudata; *a.* ultimam

rationem hujus novae oeconomiae esse aeternum decretum Dei, *b.* Christum esse centrum totius creaturae, *c.* omnia esse ad gloriam externam Dei .... adorabo, gratias agam, cum Maria, me offeram ut haec omnia annuntiem toti mundo, imo si Deo placebit, testificer sanguine meo!

Meditatio 3.

Eph. 1, 15—19.

I. Quibus rebus excitatur S. Paulus,

15 Propterea et ego audiens fidem
vestram, quae est in Domino Jesu, et
dilectionem in omnes sanctos,

II. ut gratias agat et oret?

16 non cesso gratias agens pro vobis,
memoriam vestri faciens in orationibus
meis: 17 ut Deus, Domini nostri Jesu
Christi, Pater gloriae,

III. quid petit?

det vobis spiritum sapientiae et
revelationis, in agnitione Ejus; 18 illu-
minatos oculos cordis ut sciatis, quae
sit spes vocationis Ejus, et quae divitiae
gloriae hereditatis Ejus in Sanctis, 19 et
quae sit supereminens magnitudo vir-
tutis Ejus in nos, qui credimus, secun-
dum operationem potentiae virtutis Ejus.

Praeludium 1: specialis gratiarum actio et precatio pro lectoribus.

Praeludium 2: videbo S. Paulum in carcere post labores diei, quando jam recesserunt amici et coadjutores, nocte, prorumpentem in gratiarum actionem.

Praeludium 3: petam a Sede Sapientiae donum sapientiae, qua de iis, quae jam fide

credo, judicem secundum altissimam causam, quae est Deus super omnia amandus.

TESSERA: *da mihi sedium Tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis* (*Sap. 9, 4*).

I. Quibus rebus excitatur S. Paulus ad orandum? (v. 15).

1. S. Paulus ab una parte considerat electionem, praedestinationem, gratificationem, redemptionem, instaurationem omnium in Christo, et haec omnia in genere; ab altera parte in mentem revocat quae audivit de fide et dilectione, quae est in iis, ad quos dirigitur epistola.

2. »Ubique conjungit et conglutinat fidem et dilectionem, bigam quamdam admirabilem" (S. J. Chrys. in h. l.) *Fides, quae per charitatem operatur* (*Gal. 5, 6*). Et haec est vera sapientia, in omnibus, sive hominibus, sive rebus, sive eventis ascendere ad altissimam causam, Deum scilicet, in omnibus contemplandum, reverendum, amandum, etc.

3. Num fides mea est operativa? Num charitas mea fundatur non in naturali inclinatione, sed in fide?

II. Quomodo orat? (v. 16 et 17a).

1. *a*. Quid facit? *α*: est in habituali affectu gratitudinis pro iis, quae Deus aliis dedit; —

β: sed insuper petit novas gratias ut, quae Deus dedit hominibus, uberiores semper fructus proferant. — *b.* sub quibus titulis invocat Deum? α: ut est *Deus Domini nostri Jesu Christi*, ut Is, qui in Jesu-Homine nobis obviam venit; β: ut est *Pater gloriae*: Deus dicitur Pater omnium quae essentialiter habet cum relatione aliqua ad nos (2 Cor. 1, 3; Is. 9, 6; Deut. 32, 6; Sap. 14, 4); et id quod Paulus petit, tandem aliquando pro fine habet gloriam Dei externam.

2. Est vera sapientia, jungere semper gratiarum actionem cum petitione. Est vera sapientia, in omnibus respicere primam causam, quae est simul ultimus finis, Deum amandum.

3. Quoties per diem recordor finis mei?

III. Quid precatur? (17b—19).

1. *a.* quid precatur? α: spiritum sapientiae; β: spiritum revelationis: i. e.: ut Deus semper magis ac magis *notum* faciat iis *sacramentum voluntatis suae* (*v.* 9). — ubi quaerendus est et in quo manifestabit se ille duplex spiritus? *in* majori *agnitione Ejus*. — γ: illuminationem intellectus, inspirationem voluntatis, gratias actuales, sine quibus progredi non possumus in supernaturali Dei cognitione.

b. quid sciemus, si Deus nobis dat, quod S. Paulus petit pro lectoribus epistolae? α: quae sit res sperata ad quam vocavit nos (v. 11);

β: quam abundans gloria sita sit in hereditate promissa Sanctis (v. 14); γ: metientes secundum potentiam, quam manifestavit virtus Dei in glorificatione et resurrectione Christi, sciemus quam supereminenter manifestata sit magnitudo virtutis Ejus in sanctificatione nostra (v. 20—2, 10).

2. Quantopere haec omnia scire praestat quam scire vanitates mundanas! . . . .

3. Lente, ruminando, applicando mihi, clerico, statuique meo, recitabo orationem Sapientis: *Sap. 9, 4: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis:* [5] *quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillae tuae, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum.* [6] *Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* [7] *Tu elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum, et filiarum:* [8] *et dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuae altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod praeparasti ab initio:* [9] *et tecum sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in praeceptis tuis.* [10] *Mitte illam de coelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid*

acceptum sit apud Te: [11] *scit enim Illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia.* [12] *Et erunt accepta opera mea, et disponam populum Tuum juste, et ero dignus sedium patris mei.*

COLLOQUIUM: repetam quoad rem eandem orationem, sed meis verbis, invocando iterum iterumque Sedem Sapientiae.

Meditatio 4.

Eph. 1, 20—2, 10.

I. Potentia divina emicuit in Christo,

20 Quam [operationem v. 19] operatus est in Christo, suscitans Illum a mortuis, et constituens ad dexteram Suam in coelestibus, 21 supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. 22 Et omnia subjecit sub pedibus Ejus: et Ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, 23 quae est corpus Ipsius, et plenitudo Ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

II. et in vocatis, qui erant mortui.

1 Et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, 2 in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi hujus, secundum principem potestatis aëris hujus, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae, 3 in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii irae, sicut et ceteri:

III. sed sunt vivificati,

4 Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charita-

tem suam qua dilexit nos, [5] et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), [6] et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu:

IV. et haec omnia ad gloriam Dei.

[7] ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu. [8] Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; [9] non ex operibus, ut ne quis glorietur. [10] Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.

PRAELUDIUM 1: pia consideratio de potentia Dei manifestata in clarificatione Filii unigeniti et in sanctificatione filiorum adoptivorum.

PRAELUDIUM 2: aspiciam vultum adorabilem Jesu, et audiam vocem Ejus, quando, post coenam ultimam, et post ultimam exhortationem, *sublevatis oculis in coelum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium Tuum, ut Filius Tuus clarificet Te: sicut dedisti Ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti Ei, det eis vitam aeternam* (*Jo. 17, 1 et 2*).

PRAELUDIUM 3: »quod Deus imperio, Tu prece, Virgo, potes!" ora pro me, ut admirans et adorans potentiam Dei in operibus ordinis supernaturalis, in omnibus quaeram Deum et solum Deum.

TESSERA: *ecce Dominus Deus in fortitudine*

veniet, et brachium Ejus dominabitur: ecce merces Ejus cum Eo, et opus Illius coram Illo. (*Is. 40, 10*).

I. Quomodo potentia divina emicuit in Christo? (v. 20—23).

1. *a.* Per resurrectionem Ejus; *b.* per hoc quod humana natura Christi nunc participat regimini mundi; *c.* etiam super mundum angelicum elevata est; enumerat S. Paulus eos choros, qui aliquomodo participant regimini mundi creati, et concludit omnia creata complectendo voce *omne nomen*: »nomen ponitur pro re vel persona, quae ratione potestatis aut dignitatis cum fama nominari potest" (Estius); et in verbis: *omnia subjecit sub pedibus Ejus: omnia* denotat universalem, *sub pedibus Ejus* absolutam esse potentiam, ad quam elevatus est homo Christus; *d.* per hoc quod pulcherrimae creaturae in ordine morali, Ecclesiam dico, dedit Christum *caput*, ita ut haec Ecclesia sit Ejus *corpus*, et simul id, quod plenum est Ejus, qui omnia implet, Jesu Christi Domini nostri.

2. Quam ample dedit Deus id quod petierat Filius Ejus: *clarifica Filium Tuum!* Quam recte videbat S. Stephanus, exclamans: *ecce video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei!* (*Act. 7, 55*). Quam recte vidit S. Joannes solum Agnum accipientem *de dextera*

sedentis in throno librum (Apoc. 5, 7) sortis nostrae, dum *nemo poterat, neque in coelo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum* (*Apoc. 5, 3*).

3. Adorabo, gratias agam, non obliviscar, me mox illum ipsum Christum, sub specie panis absconditum, in manibus habiturum!

II. Quomodo emicuit divina potentia in redemptis, qui erant mortui? (v. 1—3).

1. *a.* Qualis erat pristinus status in genere? mors moralis et spiritualis, cujus causa erant peccata, sive partim ex errore mentis sive ex mera voluntate orta; *b.* quae illius status circumstantiae externae? erat status *secundum* spiritum *mundi hujus*, mali, hodierni, qui agit *secundum principem* Luciferum, potestatum illarum quae sunt inter coelum et terram, nempe daemoniorum, (sicut inter firmamentum et solum ventus, sic inter coelum et terram spiritus malus: cf. Eph. 6, 12: *contra spiritualia nequitiae in coelestibus*); princeps ille est auctor *spiritus* illius nefastissimi, qui lue pestifera inficit omnes eos, qui inobedientes sunt legi naturae et divinae; *c.* quae illius status circumstantiae internae? inter hos inobedientes *et nos omnes aliquando conversati sumus*, indulgentes *desideriis* inordinatorum affectuum nostrorum, ita ut opera nostra erant opera volita a carne, non ab anima subdita

Deo, imo et anima nostra non volebat, nisi quod caro volebat, et cogitabat non nisi quae carnis sunt. Et haec omnia sequelae originalis peccati, qua natura nostra corrupta et irae Dei obnoxia erat, quamvis voluntas libera intacta maneret. Sic et ego et nos omnes Judaei, *sicut et ceteri*, nempe Gentiles.

2. Quid de hoc est considerandum? num suis viribus potuisset genus humanum se eripere ex hoc statu miserrimo?... quanta erat potestas diaboli!...

3. »Ab insidiis diaboli, libera nos, Domine!" »Ab omni peccato, libera nos, Domine!" *Domine, salva nos, perimus!* (*Mt. 8, 25*). *Magister, non ad Te pertinet, quia perimus?* (*Mr. 5, 38*) ... *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium Ejus dominabitur: ecce merces Ejus cum Eo, et opus Illius coram Illo!*

III. Sed sunt vivificati (v. 4—6).

1. Quis? *Deus* ... qualis? *dives* ... *in misericordia* ... quid? *convivificavit nos* ... *conresuscitavit* ... *consedere fecit* ... quibus circumstantiis? *cum essemus mortui peccatis* ... quare? *propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos* ... quomodo? *in Christo.*

2. *a.* quod exclamat S. Paulus aliqua interjectione: *cujus gratia estis salvati,* nec ego umquam oblivisci debeo; *b.* saepe cogitatio

mea sit in coelo, ubi Deus honoravit et glorificavit nos per carnem Jesu Christi, quam fecit sedere a dextris suis, et ubi nos consedere fecit »nunc per spem et tandem in futuro in re" (S. Th.).

3. Gratias agam ... alacri animo ero ... etiam inter dolores corporis, quod et ipsum postea in die resurrectionis laetum exclamare poterit: *ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium Ejus dominabitur; ecce merces Ejus cum Eo, et brachium Illius coram Illo.*

IV. Et haec omnia ad gloriam Dei (v. 7—10).

1. Quare Deus haec omnia fecit? *ut ostenderet*, manifestaret, ad gloriam suam externam; quando? *in saeculis supervenientibus*, in consummatione saeculi, sed jam hoc in saeculo inchoative. Quid? ditissima quam sit gratia nobis collata a bonitate Ejus.

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* quanta gloria, quantum gaudium, quanta admiratio erit in patria ubi »omnia erunt nobis aperta, quae ad gloriam Sanctorum pertinent" (S. Th.); *b.* numquam obliviscendum, tum fidem, tum salvationem, tum gratiam sanctificantem esse dona Dei, ut ne glorier in operibus meis.

3. Multo cum affectu gratitudinis et humilitatis ruminabor breve compendium operis Dei potentissimi in ordine supernaturali: *Ipsius*

(Dei) *enim* (et ideo gloria Deo, non nobis) *sumus factura*, de novo *creati in Christo Jesu* (tamquam in causa exemplari, quasi-instrumentali, meritoria) eo fine ut bona opera faciamus, ad quae ideo Deus nos excitat praecepto et auxiliis oblatis, ut coöperemur et *in illis ambulemus.*

COLLOQUIUM: invitabo omnia creata ad laudem Dei: ps. 72, 1—3.

Cantate Domino canticum novum,
cantate Domino omnis terra!
cantate Domino et benedicite nomini Ejus,
annuntiate de die in diem salutare Ejus!
annuntiate inter gentes gloriam Ejus,
in omnibus populis mirabilia Ejus!

ad laudem potentiae Ejus: v. 4—6:

quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis,
terribilis est super omnes deos;
quoniam omnes dii gentium daemonia,
Dominus autem coelos fecit.
confessio et pulchritudo in conspectu Ejus,
sanctimonia et magnificentia in
sanctificatione Ejus.

invitabo novo iterum fervore genus humanum: v. 7—10:

afferte Domino patriae gentium,
afferte Domino gloriam et honorem!
afferte Domino gloriam nomini Ejus,
afferte hostias et introite in atria Ejus!

adorate Dominum in atrio sancto Ejus,
commoveatur a facie Ejus universa terra.
dicite gentibus: quia Dominus regnavit.
etenim correxit orbem terrae qui non commovebitur,
judicabit populos in aequitate.

invitabo creaturas irrationales, quasi praesentia essent saecula supervenientia, et dies illuceret quo conresuscitabit et consedere nos faciet Deus cum Jesu Christo: v. 11—13:

laetentur coeli, et exsultet terra,
commoveatur mare et plenitudo Ejus!
gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt!
tunc exsultabunt omnia ligna silvarum!
a facie Domini quia venit!
quoniam venit judicare terram!
judicabit orbem terrae in aequitate,
et populos in veritate sua.

Quotiescumque hic psalmus in Sacro Officio recitandus erit: in festis S.S. Trinitatis, Domini Jesu, B. M. Virginis, Angelorum, Virginum, gratus revolvere conabor quae S. Paulus docuit me de operatione potentiae Dei in clarificatione Jesu, et elevatione nostra.

Meditatio 5.

Eph. 2, 11—22.

I. Status mundi ante ecclesiam institutam.

11 Propter quod memores estote, quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini praeputium, ab ea quae dicitur circumcisio in carne, manu facta: 12 quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israël, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.

II. Mutatio facta per ecclesiam institutam.

13 Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. 14 Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua: 15 legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in Semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, 16 et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in Semetipso. 17 Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis; et pacem iis qui prope; 18 quoniam per Ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

III. Conclusiones.

19 Ergo jam non estis hospites, et advenae: sed estis cives sanctorum, et domestici Dei: 20 superaedificati super fundamentum apostolorum, et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu: 21 in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: 22 in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

Praeludium 1: meditabor de unione omnium hominum in Ecclesiam.

Praeludium 2: audiam Jesum, Bonum Pastorem, dicentem: *et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet Me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor* (*Jo. 10, 16*).

Praeludium 3: petam ab Auxilio Christianorum zelum animarum et pietatem erga Ecclesiam.

Tessera: *ut omnes unum sint* (*Jo. 17, 21*).

I. Status mundi ante ecclesiam institutam (v. 11 et 12).

1. Quid? *memores estote.* — cujus rei? *a.* quod praeputio eratis distincti, separati a populo electo, non habentes per circumcisionem, manu factam, signum memorativum pacti a Deo cum Abraham initi; *b. sine Christo*; et hic defectus illustratur quattuor modis: alienati eratis a societate a Deo electa; peregrini ab iis,

quae Deus promiserat Abrahae, Moysi, Davidi; ideoque spem salutis non habentes; verbo: *sine Deo in hoc mundo,* nam »qui absque Deo vero est, nullum Deum habet" (S. Hier.). — cur *memores estote? propter* ea quae dicta sunt a v. 4 ad 10: quia tantam gratiam redemptionis accepistis, mementote, quid fueritis, ut eo gratiores sitis.

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* quam gratus debeam esse Deo, quod Baptismo, cujus signum praefigurativum fuit circumcisio, prima aetate sim initiatus verae religioni et Ecclesiae; *b.* quo sensu ego etiam nunc possim esse *sine Christo* ... quo sensu dicatur: »esse sine Jesu, gravis est infernus, et esse cum Jesu dulcis paradisus" (Imit. II, 8, n°. 2); *c.* quo zelo ardere debeam, ut *alienati* hujus saeculi *promissionis spem* accipiant!

3. »Intra tua vulnera absconde me; ne permittas me separari a Te!" ... Mitte operarios in vineam tuam!

II. Mutatio facta a Christo Jesu (v. 13—18).

1. Quid? per Jesum Christum, per mortem nempe Ejus satisfactoriam *facti estis prope*, appropinquastis populo electo, promissionibus, spei, Deo. — Quomodo hoc fecit? duplicem pacem afferendo: pacem cum populo Dei, nam solvit Christus parietem, solvit inimicitias;

evacuavit *in carne sua*, per mortem suam, legem praeceptorum, quam non venit solvere sed adimplere, ut quasi novum oriretur genus humanum unum; pacem cum Deo, *interficiens inimicitias* in cruce (gr.). — Et sic factus est unus novus homo, i. e. unum novum genus humanum, et unum corpus, i. e. cujus caput Christus (v. 15 et 16), et unus Spiritus, i. e. Spiritus Sanctus (v. 18). —

Et quid mirum, sic a Christo factum esse? Venit enim evangelizare pacem tum Judaeis, tum Gentilibus (Mt. 15, 24; Jo. 10, 16; 11, 52; Luc. 4, 18 sqq.; Mr. 16, 15; Mt. 28, 19 sqq.; Luc. 2, 14).

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* quotuplici sensu Christus sit *pax nostra* ... *b.* cur ter mentio fiat mortis Jesu: *v. 13: in sanguine Christi*, *v. 14: in carne sua*, *v. 16: per crucem*, nam Christus Mediator atque Sacerdos reconcilians tum imprimis fuit, cum in cruce sese obtulit verum et proprium sacrificium. *c.* quomodo in uno versiculo (18) recolatur Sanctissima Trinitas.

3. »Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra, miserere nobis"... . Qua devotione recito orationem pacis ante Communionem?

III. Conclusiones (v. 18—22).

1. Quid? Quod v. 13 jam generatim dictum est, *facti estis prope*, nunc illustratur. — quomodo? v. 19 unio sub imagine civitatis; oppo-

nitur versiculo 12: non peregrini, non inquilini, sed concives (gr.) Judaeo-Christianorum, imo *domestici Dei*; — v. 20—22 unio sub imagine aedificii, cujus lapis angularis (Is. 28, 16) Christus, cujus fundamenta Apostoli et prophetae Novi Testamenti, ut Barnabas, Silas, Judas, Agabus (Act. 11, 27; 13, 1; 15, 32; 21, 10), cujus partes et lapides sunt etiam ethnico-Christiani, cujus finis est, ut crescat in templum (non materiale, sicut Judaeorum, sed) spirituale (*v. 22 in spiritu*), sanctificatum *Domino*.

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* ne obliviscar dignitatis meae et proximi mei: *domestici Dei* sumus. — *b.* characteres verae Ecclesiae: unitas (v. 14 sqq.), sanctitas (v. 21 et 22), catholicitas (v. 15, 17, 20, 21), apostolicitas (v. 20), infallibilitas (1, 22; 2, 20; 5, 26 sqq.).

3. Qualis est zelus meus, ut *aedificatio constructa* crescat magis ac magis *in templum sanctum in Domino?*

Colloquium: »Jesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi conjuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat.

Te quidem multi novere numquam; Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Jesu; atque ad sanctum Cor tuum rape universos.

Rex esto, Domine, nec fidelium tantum,

qui nullo tempore discessere a Te, sed etiam prodigorum filiorum, qui Te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant.

Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos; eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor.

Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur; eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum.

Largire Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis; perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula. Amen." (Leo XIII. Enc. »Annum Sacrum" 25 Maii 1899).

Meditatio 6.

Eph. 3, 1—13.

I. S. Pauli vincula;

1 Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis gentibus,

II. prudentia;

2 si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis: 3 quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi: 4 prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: 5 quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis Ejus, et prophetis in Spiritu, 6 gentes esse cohaeredes, et concorporales, et comparticipes promissionis Ejus in Christo Jesu per Evangelium:

III. humilitas;

7 cujus factus sum minister, secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi secundum operationem virtutis ejus. 8 Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, 9 et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis

in Deo, qui omnia creavit; [10] ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per ecclesiam, multiformis sapientia Dei, [11] secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro: [12] in quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus.

IV. vincula. [13] Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quae est gloria vestra.

PRAELUDIUM 1: S. Paulus doctrinam traditam sua auctoritate confirmat.

PRAELUDIUM 2: audiam Jesum Paulo humi jacenti prope Damascum dicentem: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Sed exsurge, et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, et testem eorum quae vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo, et gentibus in quas nunc Ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter Sanctos, per fidem quae est in Me (Act. 26, 15—18).*

PRAELUDIUM 3: petam per intercessionem Reginae Apostolorum, ut dignitatem vocationis meae melius perspiciam, eoque humilior sim, quo sublimiora perficere debeam.

TESSERA: *factus sum minister, secundum donum gratiae Dei* (*v.* 7).

I. S. Pauli vincula (v. 1).

1. In memoriam revocabo: *hujus rei gratia* i. e. eo fine ut coaedificemini (2, 22); *vinctus Christi Jesu*: causa custodiae meae est, quia Christi Jesu electus minister sum et ut talis egi; *pro vobis gentibus*: eo ipso quod volui vobis Jesum praedicare. Nunc vult addere: *flecto genua mea* (*v. 14*), sed memor, plures forsan inter lectores vel vocationem ejus mirabilem non novisse, vel de auctoritate ejus propter vincula dubitare, prius affirmat et comprobat missionem suam.

2. Consideranda: *a.* gloriatur pati pro Jesu ad utilitatem proximi; *b.* orat ut fiat id, quod Deus vult, dependenter a cooperatione hominis.

3. Dum scio Jesum velle omnes salvos fieri, et me esse ministrum Ejus, cur non magis strenue laboro, ferventius oro?

II. S. Pauli prudentia (v. 2—6).

1. Qui? lectores — Quid? si forsan nondum audierunt, quomodo Deus ita dispensaverit gratiam suam in utilitatem eorum, ut S. Paulo per specialem revelationem notum fecerit sacramentum, de quo antea (1, 9) paucis verbis scripsit Apostolus, — tunc auctoritas ejus vel ex eo patet, quod exposuerit

rem tam luculenter et tanta penetratione spiritus. — Et tunc duo de hoc *mysterio Christi* enuntiat: *a.* illud antea non agnitum fuisse (v. 5); *b.* in quo consistat (v. 6).

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* quo fine seipsum laudet Apostolus; *b.* quid ego sciam de hoc mysterio.

3. Actus humilitatis, desiderii in diem melius cognoscendi divinam revelationem.

III. S. Pauli humilitas (v. 7—12).

1. In memoriam revocabo: *a.* 7 et 8ª: seipsum humiliat;

b. 8ᵇ et 9: ipsum munus non minuit sed praeclara laude enuntiat;

c. 10 et 11: sublimem finem mysterii, olim absconditi, nunc patefacti et semper magis in historia Ecclesiae patefaciendi, indicat.

d. fructum revelati mysterii jam adesse declarat.

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* homo seipsum parvi faciat, non dona Dei sibi data. *b.* quomodo in coelo Ecclesia sit objectum admirationis Angelis, et nos spectaculum Angelis; *c.* quo sensu quotidie in Missa nomine Ecclesiae dico: »praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, *audemus* dicere: Pater noster"...

3. Gratias agam pro vocatione mea; amabo Ecclesiam; et Jesum in ipsa.

IV. Vincula S. Pauli (v. 13).

1. Singula verba perpendam: *propter quod*: propter ea quae dicta sunt a v. 2 ad 12; *peto*: paterno affectu; *ne deficiatis*, ne cadatis neque haereatis animo; *in tribulationibus meis pro vobis: quae est gloria vestra:* »quomodo sunt pro ipsis? quomodo sunt gloria ipsorum? quoniam ipsos sic dilexit Deus, ut etiam pro ipsis daret Filium, et servos suos male afficeret. nam ut isti tam multa bona consequerentur, Paulus erat in vinculis". (S. Chrys.)

2. Considerabo, me etiam libenter pati debere aliquid pro animabus salvandis.

3. Petam fortitudinem ad hoc.

Colloquium: cum S° Paulo, cum Maria, cum Domino nostro Jesu Christo.

Meditatio 7.

Eph. 3, 14—21.

I. invocatio, 14 Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, 15 ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur,

II. petitio, 16 ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum Ejus in interiorem hominem, 17 Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, et fundati, 18 ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum: 19 scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

III. doxologia. 20 Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: 21 Ipsi gloria in ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

Praeludium 1: cum S. Paulo orabo, ut Christiani melius intelligant sacramentum voluntatis Dei.

PRAELUDIUM 2: videbo S. Paulum expansis brachiis, vinctum, orantem.

PRAELUDIUM 3: petam ut possim *comprehendere* ... (v. 18 et 19.)

TESSERA: *Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo!* (*v. 21.*)

I. Invocatio (v. 14 et 15).

1. In memoriam revocabo: *hujus rei gratia*, i. e. ut magis ac magis coaedificemini (2, 22); *flecto genua mea*: »non ad genua corporis, sed ad subjectionem mentis et inclinationem animae cordisque obsequium pertinet" (S. Hier.); *ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*: en titulum, qui debet esse Deo Patri valde carus; *ex quo* (Patre) *nominatur* (filia) *omnis paternitas* (graece potius: omne genus, omnis familia, omnis communitas, tum ex Gentilibus, tum ex Judaeis; nam in ordinem supernaturalem elevati omnes sunt filii Dei Patris) *in coelis* (ubi Angeli sunt filii Dei) *et in terra* (utinam ubique terrarum, apud omnes omnino!)

2. Quid de hoc est considerandum? Est pulchra illustratio initii orationis dominicae: »Pater noster"...

3. Quae est mea reverentia interna et externa in oratione?... Num ea quae decet filium Dei adoptivum loquentem ad Patrem suum coelestem et *Patrem Domini nostri Jesu Christi?*

II. Petitio (v. 16—19).

1. Quid petitur? *virtute* (id est fortitudine) *corroborari*; quousque? *Christum habitare* semper plenius *in cordibus vestris*; quo fine? *ut possitis comprehendere ... scire etiam*; quid? id quod latitudine, longitudine, sublimitate et profunditate immensum est et superat omnem scientiam, nimirum *charitatem Christi*; quo fine ultimo? *ut* cooperatione vestra ita *impleamini* donis illius charitatis Christi, dum perveneritis *in omnem plenitudinem Dei* per unionem beatificam in coelis consummatam.

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* »dico, quod peto *ne deficiatis* (v. 13), sed stetis viriliter; scio tamen, quod hoc ex vobis facere non potestis sine dono Dei; eo peto ut det vobis (Jac. 1, 17)" (S. Th.) *b. divitias gloriae* (cfr. 1, 17), misericordiae, charitatis erga nos; *c.* »nisi fortificetur homo facile superatur" (S. Th.); *d. in interiorem hominem*: ut ordo et subordinatio hominis inferioris superiori restituatur; *e.* fides et charitas crescere semper debent; *f. Job 11, 8: excelsior coelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? 9. longior terra mensura Ejus, et latior mari. 10. si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet Ei?* — En sex motiva petendi.

3. Pete, invita angelum custodem, beatam Virginem, omnes Sanctos, ut tecum petant.

III. Doxologia (v. 20 et 21).

1. Si consideras *virtutem quae* jam *operatur in nobis*, concludere potes, Deum posse et velle facere ad nostram salutem abundantius *quam petimus, aut intelligimus*. Huic *gloria in ecclesia*, triumphante, militante, patiente, ubique terrarum, *in Christo, per Christum*, nunc, semper, et post secundum adventum Christi, in aeternum *in ecclesia* coelesti per Christum!

2. S. Th.: »apostolus agit Deo gratias de suae petitionis exauditione; circa quod tria facit, quia 1°. ponit potestatem Dei, qua postulata concedit; 2°. potestatis exemplum: *secundum virtutem* . . . apparet si attendimus ea quae operatus est in nobis . . .; 3°. materiam gratiarum actionis . . . *a*. ecclesiae institutionem, *b*. Filii incarnationem" . . .

3. Excitabo me ad gratitudinem, tam decentem, utilem, imo necessariam.

Colloquium: offerens per Mariam propositum meum ut in posterum saepius et ferventius orem pro augmento perfectionis in Christianis, cum S. Paulo repetam attente ac devote orationem hanc: *ut det vobis* . . . (*v. 16—21*).

Meditatio 8.

Eph. 4, 1—16.

I. Unitas.

1 Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, 2 cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, 3 solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. 4 Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. 5 Unus Dominus, una fides, unum baptisma. 6 Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnes, et in omnibus nobis.

II. Diversitas donorum.

7 Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. 8 Propter quod dicit: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. 9 Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? 10 Qui descendit, Ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia. 11 Et Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores,

III. Consummatio unitatis.

12 ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: 13 donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: 14 ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omnem vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. 15 Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in Illo per omnia, qui est caput Christus: 16 ex quo totum compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate.

PRAELUDIUM 1: incipit pars moralis epistolae; instruit quomodo vivendum juxta beneficia supra laudata; et imprimis de unitate servanda I. quae est omnino conveniens, II. quae existit nonobstante diversitate donorum; III. quae tendit ad perfectionem novae oeconomiae.

PRAELUDIUM 2: videbo cum Psalmista (6, 19), quomodo Deus, sicut rex magnus, in triumpho ascendat in montem Sion, stipatus captivis; dona accipiat ab iis, qui, olim hostes, nunc initiantur populo electo; — dein videbo cum S°. Paulo, quomodo Christus, postquam »devicto mortis aculeo" ascendit in coelum, sedeat ad dexteram Patris et libere, pro volun-

tate sua, dona supernaturalia tribuat hominibus.

PRAELUDIUM 3: petam fructus unitatis ecclesiasticae pro me et aliis.

TESSERA: *ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum (ps. 132, 1).*

I. Unitas (v. 1—6).

1. Quid commendatur? ut sint *solliciti servare unitatem* quam efficit in vobis, qui ejus auctor est Spiritus Sanctus.

Quae media afferuntur? *a.* proxima: servare vinculum unitatis, nimirum pacem. *b.* remota: humilitas, mansuetudo, patientia, charitas (cfr. v. 2).

Quae motiva? *a. obsecro* (gr. excito); *b. itaque*; i. e. propter ea quae hactenus dicta sunt; cf. maxime 2, 11—22, ubi *Ipse* (Christus Dominus) *est pax nostra qui fecit utraque unum* (v. 14); *c. ego vinctus in Domino* (Jesu Christo): ego tanta pro vobis patior, vos aliquid facite pro Jesu; *d.* vocati estis *ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* (*3, 19*): qua vocatione debetis digne ambulare; *e.* unitas multiplex in vobis: *unum corpus* (nimirum Christi mysticum: 1, 23), *unus Spiritus, una spes*, quae vobis oblata est simul cum vocatione vestra, *unus Dominus* Jesus Christus, *una fides*, quae creditur, *unum baptisma*, quo renati, et coaedificati estis. Addere potuit: unus cibus (cfr. 1 Cor. 11, 17 sqq). Tandem: *unus Deus et Pater omnium, qui est*

super omnes, ut Creator, Dominator, Suprema Majestas, *et per omnes* (gr.) tamquam per organa gloriam suam manifestans, *et in omnibus nobis* per inhabitationem Spiritus Sancti.

2. Considerabo, quomodo haec omnia etiam nunc verificentur.

3. Examinabo meipsum circa exercitium virtutum quae v. 2 commendantur.

II. Diversitas donorum (v. 7—11).

1. Quid? Huic unitati non obstat, quod non una eademque uniquique nostrum a Christo data est gratia. — Unde constat, Christum libere distribuere? ex Sacra Scriptura (v. 8); *dedit dona* proprie dicta, ideoque non debita sed gratuita, et proinde libera. — Quo jure Christus gaudet hac libertate? Quia antea se humiliavit, formam servi accipiens, satisfactionem praestitit pro peccatis hominum, iisque merita abundantia comparavit, *ut impleret omnia*, ut omnes homines, totam Ecclesiam impleret vita sua supernaturali. — Quo modo utitur hac libertate? dando gratias, quibus possint esse tales, *dedit quosdam ... Apostolos*, undecim cum S. Mathia et S. Paulo, quos omnes donis cumulavit postquam *ascendit super omnes coelos* (*v. 10*), *prophetas* Novi Testamenti, qui responsis et prophetiis confirmabant fidem in neophytis, *evangelistas*, qui (Act. 21, 8; 2 Tim. 4, 5) bonum nuntium

salutis in Christo praedicabant, *pastores*, qui simul erant *doctores*, unde S. Hier. »nemo pastoris sibi nomen assumere debet, nisi possit docere quos pascit."

2. Considerabo attente haec quattuor puncta, ut excitem me:

3. ad admirationem varietatis in unitate Ecclesiae, Sponsae Christi, ad adorationem Christi, ad imitandum Christum in humilitate, ad bonum usum donorum, quae accepi.

III. Consummatio unitatis (v. 12—16).

1. *a.* Finis ultimus illius distributionis: consummatio, perfecta renovatio credentium; *b.* finis proximus duplex: exsecutio bona variorum munerum et augmentum Ecclesiae (v. 12); *c.* amplificatio finis ultimi: e quamvis diversis locis oriundi debemus in unum aspirare et convenire, nimirum in unitatem fidei et dein amplioris cognitionis filiationis divinae Christi, ut sic tum nos, tum alii post nos, tum tota Ecclesia — et quamdiu durabit diversitas donorum — perveniamus ad perfectionem, qua Christus plene formetur in nobis omnibus; *d.* negativus finis (v. 14); *e.* cui opponitur: accipiamus veritatem et juxta eam vivamus; dein jungatur fidei charitas, et sic crescamus *per omnia*, i. e. sub omni respectu, in illum, nimirum Christum; *f.* brevis conspectus totius oeconomiae: *ex* Jesu tamquam e causa *totum*

corpus mysticum, *compactum*, constructum (2. 21), *et connexum per omnem juncturam subministrationis*, i. e. per mutua officia et ministeria singulorum pastorum et fidelium, *secundum* efficaciam quam pro sua demensa portione gratiae unaquaeque pars praestat, augetur in perfectionem sui, quae tandem aliquando consistit *in* perfecta *caritate*.

2. Sedulo perpendam haec quinque puncta, advertens animum ad haec: *a.* quam pulchre comparetur progressus spiritus cum progressu vel incremento corporali; *b.* ii, qui per pseudo-doctores abducuntur cum navicula fluctibus maris agitata; *c.* unitas corporis humani cum unitate Ecclesiae; *d.* quo sensu unusquisque Catholicus cum Psalmista laete cantare possit (132, 1—3): *Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare* (festum agere) *fratres* (ex parte Septentrionali et ex parte Australi Palaestinae) *in unum* (in Jerusalem). *Sicut unguentum in capite,* (*quod* non legiter in Hebr.) *descendit in barbam* (*barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti ejus*) *sic*(*ut*) *ros Hermon* (*qui*) *descendit in montem Sion* (ab una parte veniunt benedictiones quas possunt dare; ab altera redeunt item): *quoniam illic* (in Sion) *mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum.* Sic in corpore Christi mystici membra in caritate unita . . .

3. Quod motiva caritatis fraternae, mutui honoris, zeli, mansuetudinis!

COLLOQUIUM: cum Jesu, qui est principium hujus unitatis! Et per diem saepius serio cogitabo de hoc quod scripsit Pius X in ep. Enc. »E Supremi", 4 Oct. 1903: »etsi ad fideles omnes pertinet hortatio, *ut occurramus in virum perfectum*, *in mensuram aetatis plenitudinis Christi*; praecipue tamen ad illum spectat qui sacerdotio fungitur; qui idcirco dicitur alter Christus, non una sane potestatis communicatione, sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem praeferat.

Meditatio 9.

Eph. 4, 17—24.

I. vitae ratio differat a vita gentilium,

17 Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, 18 tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum, 19 qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam.

II. sit congrua cum Christi doctrina,

20 Vos autem non ita didicistis Christum, 21 si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu;

III. consistat in semper perfectiore renovatione.

22 deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. 23 Renovamini autem spiritu mentis vestrae, 24 et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.

Praeludium 1: considerabo, in tribus punctis, praeceptum generale morum.

Praeludium 2: primo intime audiam Deum, antequam hominem creat, dicentem: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen. 1, 26*); dein videbo malitiam hominum, v. g. tempore ante diluvium: *videns*

autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit Eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres coeli: poenitet enim Me fecisse eos (*Gen. 6, 5—7*); dein tertio audiam Patrem omnipotentem, non iratum, sed misericorditer dicentem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo Mihi bene complacui: Ipsum audite* (*Mt. 17, 5*).

Praeludium 3: petam ut melius intelligam, et in praxim deducam, magnum principium morale Christianismi: deponere veterem hominem et induere novum.

Tessera: *cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*ps. 50, 12*).

I. Vitae ratio differat a vita gentilium (v. 17—19).

1. In memoriam revocabo: *hoc*: quae nunc sequuntur; *igitur*: nimirum *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* (*v. 1*); *dico et testificor*, affirmo et adhortor; *in Domino*, in unione cum Domino, in quo fundatur mea adhortatio, cujus nomine loquor; *ut jam*, postquam e gentilitate conversi estis; *non ambuletis*, si vultis ambulare digne vocatione

qua vocati estis, *sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui*, in cogitando et volendo: »vanus est sensus, quando indebita regula ductus non venit ad debitum finem" (S. Th.); sequitur nunc descriptio illius vanitatis: *intellectu* seu *sensu* (v. 17) obscurati in cogitando et volendo, carent vita cujus auctor speciali modo est Deus, nimirum, vita ad normam legis divinae, vel vita gratiae sanctificantis; causa proxima hujus obscuritatis est ignorantia legis divinae et revelationis, causa remota est caecitas cordis. Quomodo pervenerunt ad hunc statum? quippe qui (gr.) insensibiles facti respectu conscientiae *semetipsos tradiderunt* libidinibus et faciunt omne genus impurorum operum, et, quod est alterum vitium capitale gentilium, avaritiae.

2. Considerabo, quomodo etiam nunc ii omnes, qui non Christiane vivunt, in eodem sint statu, tum interno, quoad intellectum et voluntatem corrupto (v. 17 et 18), tum externo, per scelera vitiato (v. 19).

3. Orabo pro peccatoribus; videbo, quid verbo, exemplo, oratione potuerim facere ad eorum conversionem et non fecerim.

II. Sit congrua cum Christi doctrina (v. 20 et 21).

1. *Vos autem*, qui conversi estis ad Christum, *non ita didicistis Christum*, non ita accepistis disciplinam Christianam, quasi congrua

esset talis vitae ratio cum iis quae didicistis, tum cum primum Christum *audistis*, tum cum post conversionem *in Christo edocti estis*, qui Christus est Jesus, et *in Jesu*, ut scitis ex supra dictis, *est veritas*.

2. Recolam hoc loco, quomodo Jesus Christus sit omnia; quomodo sit auctor, exemplum, doctor legis moralis, in specie, quatenus haec quoque est elevata in ordinem supernaturalem. Nec umquam obliviscar quod scripsit Pius X (Enc. E Supremi", 4 Oct. 1903): »humanarum gentium ad majestatem Dei imperiumque revocatio, quantumvis licet conemur, numquam nisi per Jesum Christum eveniet."

3. Nonne ideo saepe homines non libenter audiunt me loquentem de Jesu, quia non bene loquor de Jesu, et nonne ideo non bene loquor de Jesu, quia Eum non bene novi, non ardenter amo? . . . .

III. Primum et maximum praeceptum moralitatis Christianae (v. 22—24).

1. Respectu pristinae conversationis vestrae, debetes nunc, postquam conversi estis, *deponere . . . . veterem hominem* »veteres concupiscendi, et concupiscentias suas sequendi ac peccandi consuetudines" (Corn. a Lap.), quia corpus et animam corrumpunt, neque mirum hoc est, nam desideria illius veteris hominis fallunt. Hoc est primum quod didicistis, et est

negativum. Alterum, quod didicistis, et quod est positivum, est: renovari (gr.) interne respectu mentis vestrae, in cogitando et volendo. Et tertium, quod didicistis, et quod est effectus priorum, est: induere (gr.) *novum hominem*, fieri, semper magis magisque, homo *qui secundum Deum creatus est in justitia*, in recta habitudine erga Deum, *et sanctitate*, in integritate et perfectione vitae moralis, *veritatis*, i. e. in vera justitia et vera sanctitate, juxta sensum expositum.

2. Attente recolam, penitus menti infigam, eo tendere tum depositionem veteris hominis (v. 22), tum renovationem mentis (v. 22), ut fiam quotidie magis ac magis similis novo Adamo, qui est Christus.

3. »Auctor beate saeculi, — Christe, Redemptor omnium, — Lumen Patris de lumine, — Deusque verus de Deo. — Amor coegit Te tuus — Mortale corpus sumere, — Ut novus Adam redderes, — Quod vetus ille abstulerat" (Hymn. ad Vesp. Festi S. Cordis Jesu).

Colloquium: audiens iterum tria effata Patris omnipotentis (praeludio 1°), gratias agam pro prima creatione, pro misericordia in parcendo, pro renovatione in Christo. Petam gratias, et cooperationem strenuam cum iis, ut principium moralitatis Christianae (cfr. Mt. 16, 24) et in meipso et in aliis magis magisque vigere et fructificare faciam.

Meditatio 10.

Eph. 4, 25—5, 2.

I. mendacium,

25 Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.

II. ira,

26 Irascimini, et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram. 27 Nolite locum dare diabolo:

III. injustitia,

28 qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

IV. sermo malus,

29 Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. 30 Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. 31 Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. 32 Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

V. Conclusio. [1] Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi: [2] et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Praeludium 1: examinabo me circa peccata et defectus contra amorem proximi.

Praeludium 2: audiam Spiritum Sanctum in me loquentem: *omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi, omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur* (Eccl. 13, 19 et 20). [Ista lex naturae est voluntas Dei, qui talem quoque dedit populo Israël decalogum, ut prior ejus pars respiciat officia erga Deum, altera pars, major, septem mandatorum, officia erga proximum: *et magnalia honoris Ejus vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum, et dixit illis: attendite ab omni iniquo. Et mandavit illis unicuique de proximo suo* (*Eccli. 7, 11 et 12*).]

Praeludium 3: petam per Matrem amabilem, ut vincam et eruam hunc... defectum contra amorem proximi.

Tessera: *Christus dilexit nos* (*5, 2*).

I. Mendacium (v. 25).

1. Quid? depone mendacium et loquere veritatem. Cur? *a. propter quod*, i. e. quia debetis induere novum hominem; *b.* quia

est proximus tuus; *c.* quia estis *invicem membra.*

2. S. Jo. Chrys. in h. l.: »nihil est enim, nihil est, quod aeque pariat inimicitias, atque decipere et fallere. Vide quomodo eis ubique pudorem incutiat per corpus. Ne fallat, inquit, oculus pedem, neque pes oculum. Ut puta, si sit fossa profunda, et super terram positis arundinibus et terra opertis, in superficie praebeat oculis opinionem terrae solidae; annon utetur pede, ut sciat num sit inferius vacuum, an remittatur et resistat? fallitne pes? nonne id quod est renuntiet? Quid vero, si serpentem viderit oculus, aut feram, num fallat pedem? non statim renuntiat? ille autem, cum ab eo didicerit, non amplius pergit. Quid autem, quando neque oculus, neque pes invenerit quomodo discernat, sed totum sit odoratus, ut utrum sit venenum letale necne, num os fallit odoratus? Minime. Quare? Nam seipsum quoque perdit si fallat: sed dicit quod sibi occurrit. Quid vero lingua, fallitne stomachum? non cum amarum quid senserit, rejicit, sin autem dulce, transmittit? Vide ministerium, et servitutis remunerationem: vide curam et providentiam ex veritate ortam, idque alacri et prompto, ut ita dicam, animo. Ita nos quoque ne mentiamur nec fallamus, si sumus alter alterius membra."

»Hanc divi Pauli rationem si penetraveris, agnosces quod in fratrem tuum non possis

peccare, quin et in Christum pecces: peccas enim in Christum, quoties in Christi membrum peccas" (Bern. a Pic.). Zach. 8, 16 et 17.

3. Num utor mendacio jocoso, officioso, pernicioso, restrictione pure mentali, vel sine justa causa late mentali? *Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me* (*Prov. 30, 8*).

II. Ira (v. 26 et 27).

1. Tria vetantur: *a.* »si irascimini, nolite tamen peccare, quia concultatis mandatum Ejus, qui septies septuagies jussit ad alterum dimittere" (Ephraem); *b.* »solis occasus apud Hebraeos erat initium diei: significatur ergo iram non esse in alteram diem pertrahendam" (Bern. a Pic.); *c.* non dare diabolo occasionem gloriandi »Necesse est enim iratus animus mala cogitet, quod cupit diabolus; invenit enim mentem paratam ad malum, cui se inserens affectu suo decipit hominem factum ad vitam" (Ambrosiaster).

2. Applicandum est tum irae, tum cuicumque defectui hoc S. Alphonsi Mariae de Ligorio (in »Selva"); »sufficit diabolo, si ei januam cordis nostri aperire incipimus, sensim sine sensu intrare sinendo peccata venialia; ipse curabit ut tota plena aperiatur."

3. Num saepe indulgeo inordinato appetitui vindictae? »Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, libera nos, Domine" (Lit. O. S. S.).

III. Injustitia (v. 28).

1. Quia gentiles tantopere dediti erant avaritiae (v. 19), certe non inutile erat, ethnico-Christianos contra injustitiam monere.

2. »Ex divo Paulo non sufficit Christiano quod aliena non rapiat; sed debet egenis, etiam proprio manuum suarum labore, victum et necessaria comparare. Quid ergo de divitibus immisericordibus diceret, qui egenis sua superflua denegant? quid de praelatis, beneficiariis, qui bona pauperum in vanos et turpes usus dilapidant? Debet pauper honesto labore comparare unde tribuat alii pauperi: divites autem obscena et turpia operantur; unde fit ut non habeant ad dandum pauperibus. In obscenis et damnatis rebus pauperum bona consumuntur! Christi patrimonium dispenditur!" (Bern. a Pic.).

3. Num ego, etiam in minimis, jus suum cuique tribuo? *Domus justi plurima fortitudo: et in fructibus impii conturbatio* (*Prov. 15, 6*). Num *laboro* — si non manibus, saltem parcimonia et vitae simplicitate, aut etiam ope divitum invocata — *ut habeam unde tribuam necessitatem patienti?*

IV. Sermo malus (v. 29—32).

1. Quae omittenda? omnis sermo malus; *amaritudo,* unde oritur *ira*, ex qua assurgit *indignatio*, ira perfecta, accensa, quae erumpit

in clamores; *clamor* est equus irae, equum si prostraveris, ascensorem evertisti; nam clamor continet maledicentiam, detractionem, contumeliam. Et haec omnia aeque evitanda sunt Christiano, sicut omnis malitia. — Quae facienda? *si quis bonus* sermo est ad *aedificationem* opportunitatis (gr.) *procedat . . . ex ore vestro . . . ut det gratiam audientibus*, et tum v. 32 . . .

Motiva? *a.* ne contristetis Spiritum Sanctum, quem fugatis ex animis vestris peccato mortali, et qui tamen quasi signaculum est, quo ornatae animae vestrae in die secundi adventus Jesu Christi admitti possunt in gloriam Patris. *b.* Quia quotidie oratis: »*et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*" (*Mt. 6, 12*).

2. Perpendam haec motiva . . .

3. Examinabo me circa vitia et virtutes enumeratas, recogitans me, clericum, debere esse exemplo aliis.

V. Conclusio (5, 1 et 2).

1. Singula verba ruminabo.

2. *a.* »Adoptionem accepistis, Deum Patrem appellatis; imitamini ergo cognationem" (Theodoretus ep. Cyr.). *b.* perpendam, cur oblatio qua Jesus seipsum obtulit, tam fuerit suavis Patri. *c.* tertia vice adhibet vocem ambulandi:

4, 1: *digne*; 4, 17 *non ... sicut ... gentes*; 5, 2 *sicut et Christus*,

3. Si omnis Christianus debet esse alter Christus, quanto magis ego!

COLLOQUIUM: veniam petam, specialem meum defectum curabo his... vel hoc medio... auxilium impetrabo a Jesu, Maria, Angelo Custode.

Meditatio II.

Eph. 5, 3—14.

I. fugite impudicitam;

3 Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; 4 aut turpitudo, aut stultiloqium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinent; sed magis gratiarum actio.

II. ob tria motiva;

5 Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei. 6 Nemo vos seducat inanibus verbis: propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae. 7 Nolite ergo effici participes eorum. 8 Eratis enim aliquando tenebrae; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: 9 fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate: 10 probantes quid sit beneplacitum Deo: 11 et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum,

III. imo redarguite.

magis autem redarguite. 12 Quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe

est et dicere. 13 Omnia autem quae arguuntur, a lumine manifestantur: omne enim quod manifestatur, lumen est. 14 Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.

PRAELUDIUM 1: excitabo in me zelum conservandae castitatis mihi et aliis.

PRAELUDIUM 2: in memoriam revocabo historiam, et audiam, quomodo, Israel fornicatione seducto ad idololatriam, occisis viginti quattuor millibus hominum, Phinees, Eleazari pontificis filius, postquam pro Deo zelo plenus, fornicatores peremit, a Deo laudetur: *Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non Ipse delerem filios Israel in zelo meo; idcirco loquere ad eum: ecce do ei pacem foederis mei, et erit tam ipsi, quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel* (Num. 25, 11—13). Et iterum a Spiritu Sancto: *et stetit Phinees, et placavit: et cessavit quassatio. Et reputatum est ei in justitiam, in generationem usque in sempiternum* (ps. 105, 30 et 31).

PRAELUDIUM 3: petam magnum zelum pro castitate a Virgine Virginum.

TESSERA: *O quam pulchra est casta generatio cum claritite* (gr.: melior est sterilitas cum virtute) (*Sap. 4, 1*).

I. Fugite impudicitiam (v. 3 et 4).

1. Quid? omnis impudicitia, tum in verbis, tum in actibus, tam horribilis sit Christianis, ut *nec nominetur* in iis. — Cur? *a.* ita *decet sanctos*; *b.* omnis sermo vere Christianus debet esse *gratiarum actio*, sive formaliter, sive implicite, pro eximiis beneficiis Dei.

2. G. Palau, El católico de acción, II, 15: »una anima casta utilior in hac terra quam mille, quamvis potentes, impudici". — Pius X in exh. ad clerum cath.: »in vobis igitur intemerato semper honore floreat castimonia, nostri ordinis lectissimum ornamentum; cujus nitore sacerdos, ut adsimilis efficitur Angelis, sic in christiana plebe venerabilior praestat sanctisque fructibus fecundior."

3. Examinabo me circa cogitationes, sermones, aspectus, gestus, num omnia spirent castitatem angelicam.

II. Tria motiva (v. 5—11a).

1. Sunt: *a. non habet hereditatem in regno Christi et Dei; b. ira Dei:* cogitabo de diluvio, de Sodoma et Gomorrha; *c.* estis *filii lucis.*

2. Considerabo: *a.* quid valeant haec motiva; *b.* S. Paulum tum v. 3, tum v. 5, avaritiam et avaros nominare, sive quia est alterum vitium capitale (cfr. 4, 19) gentilium, sive quia indicatur hisce vocibus insatiabilis concupis-

centia, et libidinosi; *c.* quoad verba inania (v. 6) audiam S. Thomam in h. l.: »notandum est, quod in vitiis carnalibus solum docuit cavere seductionem, quia de principio, ut homines possent libere frui concupiscentiis, cogitaverunt invenire rationes, quod fornicationes et hujusmodi venerea non essent peccata; ideo dicit: *inanibus verbis*"; *d.* conclusiones: *non communicare operibus infructuosis tenebrarum* (*v. 11*), — tantopere distare in agendo ab agendi modis gentilium, ut lux distat a tenebris (v. 8), — fructus proferre bonos (honestos), justos, veros, — in omnibus probare *quid sit beneplacitum Deo* (*v. 10*), idque unice quaerere, ex puro amore Dei: qui fervens Dei amor omnium optimum remedium est contra amorem quemcumque humanum minus castum.

3. »Jesu, amator castitatis, miserere nobis." Quot motiva mihi, clerico!

III. Imo redarguite (v. 11b—14).

1. Quid? »1° detegere, manifestare, in luce ponere, et 2° redarguere, reprehendere, objurgare. Uterque sensus est hic indivulse connexus: qui enim detegit opera mala, et facit ut videantur sicut sunt, eo ipso jam ista reprehendit." (Van Steenkiste). — Cur? *a.* quia sunt horribilia et inter istos vivitis (v. 12); *b.* v. 13: *α*: »tunc enim probantur peccata, si

arguantur, ut (peccatores isti libidinosi) admirentur filios lucis, a quibus cum juste arguuntur contradicere non poterunt, sed magis eos reverebuntur" (Ambrosiaster), — *β*: »quia qui peccat, quamdiu non corripitur, minime sibi videtur peccare" (id.), — *γ*: sicut vulnus quod »quamdiu superne delitescit et currit per profundum, nullam accipit curationem" (S. Jo. Chrys.), — *δ*: »qui objurgat ostendit, quantum malum sit illud quod objurgat et dum ostendit quasi illuminat malum; quod cum intellexerit ille qui admittit, discutit tenebras et ad lucem accedit" (Marius Victorinus Ml. 8, 1285); *c.* testimonium Sacrae Scipturae (v. 14). Cf. Is. 26, 19; 61, 1 ss.; Luc. 1, 78 s.

2. Perpendam haec motiva, simul recogitans, quid ego, clericus, cooperatione negativa, »mutus, non obstans, non manifestans" delinquere possim.

3. Petam zelum qualem habuit Phinees circumstantiis et praesertim statui meo accommodatum.

Colloquium: cum Jesu, Maria et Angelis Custodibus omnium, quorum curam habeo.

Meditatio 12.

Eph. 5, 15—21.

I. Media contra impudicitiam: cautela,

15 Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, 16 sed ut sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 17 Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei.

II. sobrietas,

18 Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria:

III. agere ex Spiritu Sancto.

sed implemini Spiritu Sancto, 19 loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, 20 gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. 21 Subjecti invicem in timore Christi.

Praeludium 1: meditabor de mediis contra impudicitiam.

Praeludium 2: audiam Joseph Patriarcham dicentem: *quo modo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum?* (Gen. 39, 9); videbo eum fugientem a muliere seductrice: *qui relicto in manu ejus pallio fugit, et egressus est foras* (*Gen. 39, 12*).

PRAELUDIUM 3: petam a Virgine prudentissima, prudentiam, sobrietatem, vitam spiritualem, ut longe maneam ab omni impudicitia.

TESSERA: *beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia* (Hebr. acquisivit prudentiam) (*Prov. 3, 13*).

I. Cautela (v. 15—17).

1. In memoriam revocabo quattuor: *a.* »cautio est quaedam conditio prudentiae, per quam aliquis vitat impedimenta agendorum; et hanc cautelam debent omnes habere. *Prov. 4, 25: oculi tui recta videant, et palpebrae tuae praecedant gressus tuos*" (S. Th.).

b. exhortatur ad cautelam: *ambuletis: digne* (*4, 1*), *non ... sicut et gentes* (*4, 17*) *in dilectione* (*5, 2*), *ut filii lucis* (*5, 8*), *caute* (*5, 15*); *itaque*: quia tantopere abhorrere debetis ab impudicitiis, et tamen in mediis periculis debetis vivere; »est sapiens, qui cognoscit finem, vel qui agit propter finem universalem, scilicet, Deum" (S. Th.).

c. necessitas cautelae patet ex hoc, quod oportet nos redimere tempus, quod amisimus praeteritis nostris peccatis, eo magis quod et nunc sunt *dies mali*, quia paganismus quoque hodiernus in quo medio vivimus, ad summum corruptionis culmen pervenit.

d. modus cautelae: per prudentiam, »quae est particularis rei providentia, quando quis scilicet ordinat facta sua" (S. Th.), secundum

principium quod est: *voluntas Dei* (v. 17), seu *quid sit beneplacitum Deo* (*v. 10*).

2. Haec omnia applicabo mihi et circumstantiis in quibus vivo.

3. Examinabo me: num sapiens, prudens, cautus sim. *Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me* (*p. 118, 37*).

II. Sobrietas (v. 18).

1. *Nolite inebriari vino*, nam in ebrietate habitat *luxuria*.

2. Considerabo: *a.* »in virginitate servanda... vinum adulescentulis declinandum et non mittendum super flammam oleum nec naturalem carnis ardorem fomentis voluptatis augendum" (S. Hier.); *b.* »dicit ergo: dixi quod fornicatio et omnis immunditia non nominetur in vobis: sed ad hoc cavendum debetis a vino superfluo abstinere, quia cibus et potus superfluus est causa luxuriae, et praecipue vinum, quod calefacit et movet" (id.).

»*Prov. 20, 1: luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens; Esth. 1, 10: cum rex esset hilarior, et post nimiam potationem incaluisset mero*, etc.; *Osee 4, 11: fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.* Unde Hieronymus: quem Sodoma non vicit, vina vicerunt, Loth." Gen. 19, 30—35. (S. Th.).

3. Examinabo me circa secundum vitium capitale gulae.

III. Impleri Spiritu Sancto (v. 18b—21).

1. In memoriam revocabo: *a.* debemus curare non solum ut simus in gratia sanctificante, sed etiam ut magis ac magis in ea crescamus, ea impleamur; *b.* tunc quattuor fient, quae sunt èt fructus gratiae èt media ad eam augendam: quia perfectio consistit in dilectione Dei et proximi: tria quoad Deum: *loquentes*: dono linguarum, ex inspiratione Spiritus Sancti; *cantantes et psallentes*: Deum colendo interne et externe, in laetitia spirituali; *gratias agentes*: habitualiter, etiam pro miseriis, *in nomine Domini, Deo* ut auctori naturae, *et Patri*, ut auctori gratiae; tandem quartum erit, quoad proximum: mutuus honor, non ex timore hominum, sed Christum in omnibus videntes et amantes.

2. Considerabo quomodo haec omnia aptissima sint ad custodiendam intacte castitatem.

3. Quid facio in tentationibus contra castitatem?

Colloquium: cum Angelo Custode, Maria, Jesu, ut media ista pro necessitate et utilitate èt ipse adhibeam èt aliis commendem.

Meditatio 13.

Eph. 5, 22—33.

I. Mulieres subditae sint.

22 Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino: 23 quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae: Ipse salvator corporis Ejus. 24 Sed sicut ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.

II. Viri diligent.

25 Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, 26 ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, 27 ut exhiberet Ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. 28 Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. 29 Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit et fovit eam, sicut et Christus ecclesiam: 30 quia membra sumus corporis Ejus, de carne Ejus et de ossibus Ejus. 31 Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una.

32 Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.
III. Conclusio. 33 Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

PRAELUDIUM 1: meditabor de Ecclesia sponsa et mystico corpore Christi.

PRAELUDIUM 2: videbo historiam *Gen. 2, 21—24: immisit ergo* [i. e. quia *Adae... non inveniebatur adjutor similis ejus* (*v. 20*), et Deus dixerat: *non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi* (*v. 18*)] *Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una.*

PRAELUDIUM 3: petam a Matre Jesu castum amorem erga Jesum Sponsum.

TESSERA: (cum Sponsa Christi saepius dicam): *osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera Tua vino* (*Cantic. 1, 1*).

I. Mulieres sint subjectae (v. 22—24).

1. *a.* Quid praecipitur? *Mulieres viris suis subditae* (gr.: mulieres, viris propriis subditae

estote), *sicut Domino* nostro Jesu Christo, cui èt vos èt omnes Christiani subditi esse debetis ut Regi, Magistro, Dominatori, Deo.

b. Cur submissio vestra vestris viris similis esse debet submissioni vestrae Jesu Christo? *quoniam* eo modo *vir caput* (i. e. princeps, praepositus) *est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiae*: et Hic quidem eximio titulo, nam *Ipse*, est *salvator corporis Ejus* (Sui), quod est Ecclesia, cujus membra estis et vos. *Sed,* quamvis sub hoc respectu tum vir tum mulier eandem habitudinem habent ad Christum, tamen, sicut vir adumbrat Christum Sponsum, sic mulier adumbrare debet Ecclesiam Sponsam, et quidem, si saltem vir b e n e adumbrat Christum, subdita esse in *omnibus.*

2. Quae sunt mihi hac in re consideranda? *a.* quo fundamento nitantur obligationes naturales et supernaturales conjugum, ut eas bene doceam; *b.* Christum respectu Angelorum, omnium viatorum, sed specialiter respectu Ecclesiae dici C a p u t: secundum perfectionem dignitatis (Col. 1, 18), secundum potentiam dominationis (h. l.), secundum virtutem infundendi dona supernaturalia (Jo. 1, 14, 16).

3. Quia Christus etiam singularium partium Ecclesiae est caput, et ego, ut clericus, non sum inter minimas partes, convenit ut semper et in omnibus Christus sit mihi caput dominans, regens, custodiens, nutriens, incrementum praebens. Num ita revera fit?

II. Viri diligant (v. 25—32).

1. *a.* Quid praescribitur? ut viri diligant uxores, *sicut et Christus dilexit ecclesiam.*

b. quomodo Christus dilexit Ecclesiam? *α.*: quod summum est: *seipsum tradidit* (in mortem) *pro ea*, et quidem ad duplicem finem: v. 26 et 27; et nil mirum, nam si Deus-Homo vult habere Sponsam, certe vult eam, quae est *sancta et immaculata.* Ante oculos habentibus curam ritualem quam Judaei adhibere debebant corporibus suis, jam patet in illa sanctificatione, mundatione, lavatione, dici posse, Christum diligere uxorem ut proprium corpus. Ideo concluditur: *ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua* (v. 28). Ex quo sequitur, deinceps dici posse: *qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit et fovet eam.*

β. Christus *nutrit et fovet* Ecclesiam gratiis suis et maxime Sanctissima Eucharistia, postquam mundavit (v. 26) eam Baptismo: sic èt vos, viri, èt mulieres vestras èt omnes Christianos revera tamquam corpus suum tractat, *quia membra sumus corporis Ejus* (*v. 30*); atqui sic debetis et vos viri, deligere uxores.

c. quomodo confirmat S. Paulus hortationem suam? *α.* Allegando verba inspirata, quibus enuntiatur, propter hanc ipsam viri et mulieris unitatem, virum omnia pro muliere delinquere debere; *β.* addendo huic naturali significationi

mysticam: nimirum respectu Christi et Ecclesiae.

2. Quid de hoc est considerandum? *a.* unio Ecclesiae cum Christo est pro Ecclesia jugis fons sanctitatis et fecunditatis; atqui: si matrimonium istius unionis debet esse adumbratio, etiam debet esse unio sancta; *b.* quod Christus fecit pro tota Ecclesia sua, id ipsum facit pro unoquoque ejus membro.

3. Qualis et quantus est amor meus erga Jesum? ... quomodo patet amor meus in hac vel illa tentatione? ... in hac vel illa difficultate? ...

III. Conclusio (v. 33).

1. Sed, ut redeam ad hortationem meam (v. 28), breviter concludo: *singuli-unusquisque vir uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.*

2. Considerabo: *a.* quomodo Christus me diligat *sicut seipsum*; *b.* quomodo ego Eum timeam timore filiali, sponsali. »Omnis timor habet ortum ab amore: quia nullus timet perdere, nisi quod amat, et ideo amor et timor ab eodem foventur." (S. Th. opusc. de modo conf.; cap. de pecc. orig.).

3. Examinabo me, veniam petam ...

Colloquium: postquam gratias egi Sanctissimae Trinitati pro elevatione status conjugalis ad statum sacramentalem, pro intima unione Ecclesiam inter et Verbum incarnatum, jubilans exaltabo haec mystica sponsalia, ut excitem meipsum ad castum amorem Jesu,

Sponsi animae meae. Ego enim clericus (vel religiosus), gratia Dei opitulante, patrem et matrem reliqui, non ut uxori sed ut soli Domino Jesu, amantissimo et amatissimo, toto corde adhaeream. (Ps. 44, 1—18):

Praeludium:

eructavit cor meum verbum bonum:
dico ego opera mea regi.
lingua mea calamus scribae, velociter scribentis.

Regalis sponsi laudabo excellentias corporales:

Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est
gratia in labiis tuis: (propterea benedixit Te
Deus in aeternum),
accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.
specie tua et pulchritudine tua!
intende, prospere procede, et regna, propter veritatem
et mansuetudinem et justitiam:
et deducet te mirabiliter dextera tua,
sagittae tuae acutae,
populi sub te cadent,
in corda inimicorum regis.

Dein laudabo ejus excellentias spirituales:

Sedes tua Deus in saeculum saeculi:
virga directionis virga regni tui.
dilexisti justitiam et odisti iniquitatem:
propterea unxit Te Deus Deus tuus
oleo laetitiae
prae consortibus tuis.
myrrha, et gutta, et casia
a vestimentis tuis, a domibus eburneis:
ex quibus delectaverunt Te
filiae regum in honore tuo.

Me vertens ad Ecclesiam Sponsam, laete recordabor, quomodo super omnia amet Sponsum:

Astitit regina a dextris tuis
in vestitu deaurato: circumdata varietate.
»*Audi filia, et vide,*
»*et inclina aurem tuam:*
»*et obliviscere populum tuum,*
»*et domum patris tui,*
»*et concupiscet Rex decorem tuum:*
»*quoniam Ipse est Dominus Deus tuus,*
»*et adorabunt Eum.*
»*et filiae Tyri in muneribus*
»*vultum tuum deprecabuntur,*
»*omnes divites plebis.*"

Tandem exaltabo Sponsae felicitatem, cujus particeps sum ego, si super omnia amo Jesum:

omnis gloria ejus filiae regis ab intus,
in fimbriis aureis
circumamicta varietatibus.
adducentur regi virgines post eam: proximae
ejus (afferentur tibi)
afferentur in laetitia et exultatione:
adducentur in templum regis;
pro patribus tuis nati sunt tibi filii:
constitues eos principes super omnem terram.
memores erunt nominis tui in omni generatione
et generationem.
propterea populi confitebuntur tibi in aeternum:
et in saeculum saeculi.

Meditatio 14.

Eph. 6, 1–4.

I. Officia filiorum.

1 Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. 2 Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: 3 ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram.

II. Officia parentum, praesertim patris.

4 Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina et correptione Domini.

Praeludium 1: meditabor de necessitudine inter parentes et filios, ut sciam quid desit mihi in observatione quarti praecepti.

Praeludium 2: audiam Dominum Deum in fulgure et tonitru loquentem: *honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* (*Exod. 20, 12*). Dein intrabo domum Nazareth, ibique observabo Sanctam Familiam.

Praeludium 3: petam progressum in obedientia, domestica, canonica (et religiosa).

Tessera: *obediens usque ad mortem* (*Phil. 2, 8*).

I. Officia filiorum (v. 1—3).

1. Quid praescribitur? obedientia parentibus *in Domino*, i. e. in unione cum Christo, ex motivo Christiano.

Cur? exigit justitia (v. 1), praecipit Deus (v. 2), suadet utilitas.

2. *a.* »sub honore Scriptura 1° reverentiam, 2° amorem, 3° obedientiam, 4° alimoniam et sustentationem, omniaque dona et munera accipit" (Corn. a. Lap.).

b. praeceptum quartum non esse primum ordine, neque dignitate, sed inter decalogi praecepta primum et solum, quod adjunctam habet promissionem specialem. Nec mirum, nam complectitur fere quae sequuntur: »filii pii maturescent in pios parentes, utiles cives; et totus ordo socialis ex hac una veluti lege efflorescit" (v. Hummelauer).

3. Examinabo me circa triplicem obedientiam, domesticam, canonicam, religiosam. Veniam petam pro delictis juventutis... pro defectibus... imperfectionibus. (pro religiosis: Domine Jesu, qui venisti in mundum, ut faceres voluntatem Dei, qui per vitam tuam absconditam subditus eras Mariae et Joseph, qui dixisti: *meus cibus est, ut faciam voluntatem Ejus qui misit me* (*Jo. 4, 3*) et: *Ego quae placita sunt Ei, facio semper* (*Jo. 8, 29*) et: *non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc. 22, 42*), qui docuisti nos orare: *fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra*

(*Mt. 6, 10*), qui factus es obediens, *obediens usque ad mortem* (*Phil. 2, 8*), mortem autem crucis; bone Jesu, qui voluisti, ut perfecte sequerer hoc mirabile obedientiae tuae exemplum, et me Tibi astrinxisti voto obedientiae, confirma, quod in me operatus es; noli me relinquere, sed fac ut obediam actu, voluntate, judicio, prompte et perfecte, semper et ubique, ad majorem tuam gloriam et animarum salutem. Amen).

II. Officia parentum, praesertim patris (v. 4).

1. Praeceptum negativum: *nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

Praeceptum positivum: *educate illos in disciplina et correptione Domini.*

2. Cur primum? *ne pusillo animo fiant* (*Col. 3, 21*) »et per impatientiam jugum disciplinae prorsus abjiciant. Illam prohibitionem valde necessariam fuisse intelligemus, si in memoriam revocamus eo tempore longe majorem quam nunc, imo nonnunquam vere tyrannicam, fuisse patris in filios auctoritatem" (v. St.).

Cur alterum? Omnia debent fieri *Domini*, conformiter ad Christi Domini doctrinam; ergo etiam disciplina et correptio hoc sensu debent esse *Domini*. — Quae est Christi disciplina? instructio omnium fidei articulorum

et vitae christianae officiorum; instructio rationabilis, prudens, semper praecedens correptioni. — Quae est correptio *Domini*? punitio non in ira, rara, numquam ante instructionem et admonitionem.

3. Num et ego sic ago cum parvulis, quos elementa doctrinae Christianae doceo?

COLLOQUIUM: cum Jesu Puero, ut vere sim obediens; cum Maria et Joseph, ut paterno affectu et sapienti prudentia educem eos, quorum curam habeo in nomine Domini.

Meditatio 15.

Eph. 6, 5—9.

I. Servorum ministerium,

5 Servi, obedite dominis carnalibus cum timore, et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: 6 non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, 7 cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus:

II. Motivum.

8 scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.

III. Dominorum imperium,

9 Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas:

IV. Motivum.

scientes quia et illorum, et vester Dominus est in coelis: et personarum acceptio non est apud Eum.

Praeludium 1: quia »domus habet tres connexiones, sine quibus non est perfecta, scilicet, viri et mulieris, patris et filii, domini et servi", (S. Th.) nunc meditabor de tertia connexione.

Praeludium 2: audiam Jesum, Apostolis, qui contendebant, quis eorum esset major, dicentem: *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat (Luc. 22, 27).*

PRAELUDIUM 3: petam ab Ancilla Domini, ut, non respiciens personas, serviam Domino in omnibus.

TESSERA: *servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua (ps. 118, 125).*

I. Servorum ministerium (v. 5—7).

1. Quomodo serviendum? *a. cum timore et tremore*, i. e. cum magno et continuo, interno et externo metu reverentiali; *b. in simplicitate cordis*, i. e. negative: *non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes;* positive:

α. ut servi Christi, non ut gentiles, sed ut homines, ducti supernaturalibus principiis: hoc generatim;

β. facientes voluntatem Dei: magis speciatim: ducti hoc principio, quod sic facitis voluntatem Dei;

γ. ex animo.. servientes: ergo non coacte, non ficte;

δ. cum bona voluntate: ergo benevole.

2. Considerabo magnum principium ex quo deducuntur hae regulae; nimirum *sicut Christo* »cujus personam et auctoritatem et dominium ipsi (domini carnales) vobis repraesentant" (C. a. L.).

3. Examinabo, enixe, imo prolixius orando repetens tesseram meam, 1° quomodo serviam Jesu; 2° quomodo serviam iis, qui apud me Jesu locum tenent.

II. Motivum (v. 8).

1. Praemium aeternum.

2. Considerabo, cur dicatur *quodcumque*... Ergo etiam minimum opus, verbulum, praemium habebit.

3. Quoties si premit difficultas, aspicio coelum, ubi manet praemium, sed ubi etiam non est locus amplius merendi? *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu propcras* (*Eccles. 9, 10*).

III. Dominorum imperium (v. 9a).

1. Quid faciendum? *a. eadem*; *b.* speciatim: *remittentes minas.*

2. Considerabo: *a.* »*eadem* scilitet identitate proportionis, ut sicut illi ex animo, et bona voluntate, ita et vos faciatis. *Eccli. 33, 31: si tibi est servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animae comparasti illum.*" (S. Th.)

b. cavendum maxime a nimia severitate. Tempora enim quibus servi tractabantur ut describitur Eccli. 33, 25—30 jam diu elapsa sunt. Sic enim neminem, nisi teipsum et corpus tuum, tracta!

2. Considerabo, quae causa sit, cur domini in hac re facile peccent.... Nonne quia

superbi sunt? quia obliviscuntur, quid ipsi et quid servi sint coram Deo.

3. Examinabo me, quomodo me geram adversus eos, qui mihi subditi sunt.

IV. Motivum (v. 9b).

1. Triplex: *a.* unus omnium Dominus; *b.* regnans in loco ubi praemia dantur; *c.* qui non accipit personam, sed merita: et hoc ultimum decies in S. Scriptura repetitur.

2. S. Aug. in Sent. n. 163: »in Domino juste viventes ex fide, et ab illa adhuc civitate peregrinantes, etiam qui imperant, serviunt iis, quibus videntur imperare: quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi beneficio."

3. Num ego sic dominor? Num accipio personam? Quodsi circa haec defectus admisi, certe oblitus eram motivi triplicis, quod S. Paulus h. l. enuntiat.

Colloquium: cum Domino meo Jesu Christo, singulas voces tesserae meae ruminans, magnos conatus adhibens, ut reapse velim id quod peto.

Meditatio 16.

Eph. 6, 10—20.

I. pugna Spiritualis.

10 De cetero fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis Ejus. 11 Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, 12 quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus. 13 Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.

II. Subsidia.

14 State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, 15 et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis: 16 in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: 17 et galeam salutis assumite, et gladium spiritus (quod est verbum Dei), 18 per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis;

III. orent insuper pro Paulo.

19 et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium evangelii: 20 pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.

PRAELUDIUM 1: meditabor de pugna spirituali, ejusque subsidiis.

PRAELUDIUM 2: »Videbo Christum Dominum nostrum, Regem aeternum, et coram Illo universum mundum, quem Ille totum, et unumquemque hominum in particulari vocat, et dicit: Mea voluntas est subjicere totum mundum, et omnes hostes, et sic intrare in gloriam Patris mei: proinde qui voluerit venire Mecum, debet Mecum laborare, ut sequens Me in poena (in laboribus), etiam sequatur Me in gloria." (S. Ign. Ex. sp. »de regno Christi.")

PRAELUDIUM 3: hoc spectaculo excitatus petam fortitudinem animi.

TESSERA: *dedisti mihi protectionem salutis tuae: et dextera tua suscepit me* (*ps. 17, 36*).

I. Pugna spiritualis (v. 10—13).

1. *a.* Quid faciendum? in unione cum Domino Jesu quaerere fortitudinem, non quasi Deus solus omnia faceret, sed accipere ab eo »universalitatem armorum" (Ambrosiaster), tum ad defensionem, tum ad offensionem (v. 10 et 11).

b. cur? Diabolus pugnat contra nos, cujus potestas se extendit super totum mundum, ubi

lux Evangelii non penetravit, vel non est recepta; cujus essentia est quod cum sociis suis constituit societatem malam spirituum; cujus locus est inter coelum et terram (v. 12).

c. motivum: dies malus, plus quam unus, veniet, et continuo debebitis vincere, *in omnibus perfecti stare*, i. e. sec. S. Hier. universa operati.

2. Considerabo haec tria puncta, ut arctius me conjungam Deo.

3. *Ad Te Domine levavi animam meam:*
Deus meus in Te confido, non erubescam:
neque irrideant me inimici mei:
etenim universi, qui sustinent Te, non confundentur.
Confundantur omnes inique agentes supervacue ps. 24, 1—4a).

II. Subsidia (v. 14—18).

1. *a.* balteus sit veritas; habe primo loco et tene veritatem revelatam.

b. lorica sit justitia; ut unicuique, Deo, homini, tibi, reddas suum.

c. calcei sint illa praeparatio seu promptitudo animi, quae tibi oritur ex Evangelio pacis: ex vita Christiana juxta Evangelium, quae affert pacem internam cum Deo et externam cum hominibus, ut jam cum *solis* hostibus spiritualibus pugna gerenda sit.

d. scutum sit fides, *in omnibus*, vel tamquam principale, fides operosa, qua extinguentur tela invidiae, contumeliae, injuriae, detractionis.

e. galea sit salus christiana, jam inchoata, in coelo consummanda: »nihil est aliud galeam salutis assumere quam spem de ultimo fine habere" (S. Th.), »*galeam spem salutis*" (I Thess. 5, 8).

f. gladius sit verbum Dei revelatum, tibi porrectum a Sancto Spiritu, quo verbo omnis difficultas solvitur, omnis consolatio abundat, omnes tenebrae expelluntur.

g. sed, quia haec armatura tota a Deo venit, et manet sub continuo influxu Ejus, ille etiam, qui eam induit, *omni tempore*, *in Spiritu Sancto* (non tantum labiis) oret et obsecret, et, ut id possit, vigilet, non aliquantulum, sed *in omni instantia*, perseverantia; id quod neglexerunt tres Apostoli in horto; et sic perseverans oret pro omnibus Christianis, quoniam unum corpus sumus.

2. Considerabo, quam felici fortitudine gaudere possim, si haec septem arma possideo.

3. Quo affectu quotidie induo paramenta sacerdotalia? . . . Nonne haec etiam sunt armatura spiritualis, cujus virtutem nec post Missam deponere debeo? . . .

III. Orent insuper pro Paulo (v. 19 et 20).

1. Quid debent pro eo petere? *a*. ut detur ei sermo rectus; *b*. ut audeat illum pronuntiare.

Cur? *a*. ut *cum fiducia* (intrepide) *notum* faciat *mysterium evangelii*. *b*. ut, quamvis *in catena*, bene fungatur *legatione* sua.

2. Non obliviscar illud S. Thomae: »non solum est necessarium praedicatori, ut detur ei sermo in apertione oris seu scientia, sed ut sermonem sibi datum praedicet audacter et cum fiducia".

3. Num sic praedico, ut qui persuasum habeo vivum sermonem Evangelii esse gladium quo Patres nostri vicerunt mundum?

COLLOQUIUM: mendicabo in coelo armaturam a S. Paulo, a Jesu et Maria.

Meditatio 17.

Eph. 6, 21—24.

I. Mittit Tychicum ad consolandum,

21 ut autem et vos sciatis quae circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, et fidelis minister in Domino: 22 quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quae circa nos sunt, et consoletur corda vestra.

II. precatur pacem, charitatem, fidem, III. et gratiam.

23 Pax fratribus, et charitas cum fide, a Deo Patre et Domino Jesu Christo. 24 Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

Praeludium 1: per tria puncta meditabor de epilogo epistolae ad Ephesios.

Praeludium 2: videbo S. Paulum vinctum, epistolae hucusque dictatae sua manu salutationem addentem: *Pax fratribus* ... (v. 23. s).

Praeludium 3: petam spiritum charitatis et unionis, quem pro nobis postulavit Jesus in ultima coena.

Tessera: *gratia* .... etc. (v. 24).

I. Mittit Tychicum ad consolandum (v. 21 et 22).

1. *Et vos*: non solum ii, qui apud me sunt, nec solum ii, quos ipse ad fidem converti; *consoletur*: afflictos miseratione sortis meae consolabitur nuntiando, quali libertate gaudeam, quanta in vinculis adhuc facere possim pro Evangelio Christi.

2. Considerabo: *a.* quomodo laudet Tychicum, ut discam alios libenter laudare sine adulatione; *b.* quomodo amice alloquatur lectores, ut plurimum sibi ignotos, ut discam amore lucrari homines pro Jesu; *c.* quomodo S. Paulus non obstantibus catenis, instanter operetur, ut discam impendere et superimpendere meipsum ad majorem Dei gloriam, et sic fieri *fidelis minister in Domino.*

3. Nonne clericus e corde suo debet haurire posse thesauros gratitudinis, amicitiae, solatii? ... Et ego? ....

II. Pax, charitas, fides (v. 23).

1. Quibus? *fratribus*: Christianis omnibus. quid? *pax*: »est salutatio Hebraeorum, qua usus est Christus: *Pax vobis*, eaque apprecantur omnia bona, omnia felicia et fausta" (C. a. L.). Huic generali precationi additur id, quod Christianis est essentiale: *charitas cum fide.*

a quo? *a Deo Patre*, a quo omne bonum, *et Domino Jesu Christo*, Salvatore, Mediatore, Consummatore.

2. Considerabo iterum singula verba . . . .

3. Haec tria petam omnibus Christianis.

III. Gratia (v. 24).

1. Singula verba perpendam: *in incorruptione*, i. e. vel: pure et sancte, cum vitae castimonia et absque libidinis corruptelis; vel: in perpetuum, cum perseverantia, amore numquam extinguendo.

2. »In pace, fide, charitate et gratia consistit universa christianorum vita. R a d i x est gratia; fides autem cum charitate, seu fides per charitatem operans, est quasi t r u n c u s arboris sanctae; pax vero f l o s est suavissimus f r u c t u s q u e pretiosissimus" (v. St.)

3. Haec quattuor petam omnibus Christianis, et non-Christianis.

Colloquium: cum Jesu: gratias agens pro illuminationibus et inspirationibus in meditanda hac epistola acceptis; veniam petens pro defectibus in cooperando cum illis; firmum propositum Ei offerens induendi sic doctrinam S. Pauli, ut nil velim, nil faciam, nisi ut vivam et me superimpendam ad hoc unum: ut vivat Jesus in me et in omnibus!

Meditatio 18.

Introductoria in Sancti Pauli epistolas pastorales.

Praeludium 1: attente considerabo triplicem utilitatem harum epistolarum pro clerico.

Praeludium 2: videbo Episcopum in ordinatione Presbyteri, postquam singulis imposuit stolam, dein casulam, surgentem sine mitra, et audiam eum, omnibus genua flectentibus, orantem: »Deus, sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio, plenaque benedictio est, Tu Domine, super hos famulos tuos, quos ad Presbyterii honorem dedicamus, munus tuae bene † dictionis infunde, ut gravitate actuum, et censura vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito, et Timotheo Paulus exposuit; ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant: quod docuerint imitentur: (justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, ceterasque virtutes in se ostendant, exemplo praebeant, admonitione confirment, ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant, et in obsequium plebis tuae, panem et vinum in Corpus et Sanguinem Filii tui

immaculata benedictone transforment, et inviolabili charitate in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, in die justi et aeterni judicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu sancto pleni resurgant. Per etc.).

PRAELUDIUM 3: petam quod volo: attente meditari has epistolas; et ad hoc adhibere medium remotum quidem sed necessarium: recollectionem animi per diem.

TESSERA: *ps. 118, 18: revela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua.*

I. Continent pulcherrima compendia doctrinae revelatae.

1. In memoriam revocabo v. g.
1 Tim. 2, 1—6; 2, 15 et 16; 6, 13—16.
2 Tim. 2, 11—13; 3, 14—17.
Tit. 2, 11—15; 3, 3—7.

2. Considerabo effata Dei: *labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est* (*Mal. 2, 7*). *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego* (*Osee 4, 6*).

3. Examinabo me, in quantum ego in culpa sim, quod evolutio cognitionis doctrinae revelatae non eodem passu progrediatur in populo christiano, ac evolutio cognitionis rerum materialium.

II. Continent praeclara praecepta circa curam animarum.

1. Tractabitur modus agendi erga mulieres et viros, juvenes et senes, divites et servos, pseudo-doctores et haereticos. Invenientur principia moralia circa pietatem, sufficientiam, patientiam, correptionem fraternam, etc.

2. Considerabo verba S. Gregorii Magni (Reg. Past. l. 1, c. 1): »nulla ars doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum!"

3. *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum; quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?* (*3 Reg. 3, 9*).

III. Amplam materiam praebent assiduae sui examinationis.

1. Ideo enim vocantur *pastorales* epistolae quia non solum diriguntur ad superiores ecclesiasticos, sed etiam agunt de officiis et dotibus pastorum Ecclesiae.

2. Considerabo attente verba quae Pius X in exh. ad cler. cath. allegat ex S. Bernardo: »integritatis tuae curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende

diligenter quantum proficias, vel quantum deficias .... Stude cognoscere te .... Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; et sic te ipsum plange."

3. Quomodo me examinare soleo? Quid in posterum faciendum?

COLLOQUIUM: cum S. Paulo, Timotheo, Tito, Angelo Custode, Maria, Jesu, ut in meditationibus sequentibus augeatur fides, perficiatur regimen, promoveatur perfectio clericalis. Ad haec recollectionem animi melius observabo.

Meditatio 19.

Introductoria in primam epistolam ad Timotheum.

Praeludium 1: agam de occasione qua scripta est epistola, de argumento, de fine; ex quibus hauriam tria motiva progrediendi in via perfectionis clericalis: quae sunt necessitas, amplitudo, excellentia.

Praeludium 2: audiam Episcopum ordinandos sic admonentem: »Consecrandi, filii dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exsequi studeatis".

Praeludium 3: rogabo per beatam Mariam Virginem ut vivam magis magisque dignus et coram Deo laudabilis in vocatione mea, praecipue observando vel vincendo hoc vel illud...

Tessera: *gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro* (*1, 12*).

Saepe devote repetam, cogitans verbum S. Bernardi: »ingratitudo exsiccat fontem divinae pietatis".

I. Occasio scribendi; necessitas perfectionis clericalis.

1. S. Paulus, anno 63 ineunte e vinculis liberatus, Roma profectus in Hispaniam, dein reversus est in Graeciam et Asiam minorem.

Postquam Ephesi commoratus, ubi primum fervorem Christiani jam amiserant, praecipue propter falsos doctores, Timotheum creavit Episcopum et Metropolitam provinciae Asiae minoris, abiit in Macedoniam, unde, anno 65 scripsit hanc epistolam.

2. Considerabo, quomodo ubique diabolus, caro, mundus regnum Christi destruere conentur, et, si desint viri, justitia, temperantia, prudentia, fortitudine excellentes, non leviori nocumento sint Ecclesiae Dei, quae est istud regnum.

3. Si saepius mihi conscius essem, me esse, vel futurum esse inter eos de quibus concilium quoddam Mediolanense dicit: »Magna et inclyta Dei instrumenta Sacerdotes, a quibus omnium populorum pendet beatitudo", certe studiosior essem in via perfectionis. Eja, novum propositum faciam, cum gratia Dei et confortatus a Jesu in Eucharistia!

II. Argumentum epistolae; amplitudo perfectionis clericalis.

1. »Sacerdotem enim, ait Pontificale (audiam interim meum Episcopum, mihi alloquentem) oportet offere, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare".

In prima parte epistolae (1, 3—4, 5) S. Paulus quartum et dein tertium e sex enumeratis officiis tractat: 1, 3—20 praecepta tradit de genuina praedicatione, dein de

iis, quae pertinent ad Episcopi praelaturam in cultu externo et in hierarchica dispositione (2, 1—15 et 3, 1—4, 5).

»Cum magno quippe timore, (sic pergit Pontificale) ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut coelestis sapientia, probi mores, et diuturna justitiae observatio ad id electos commendent". Si tales jam debent esse electi, quanto magis jam ordinati!

In secunda parte epistolae (4, 6—6, 19) Timotheum docet:

a. quomodo per sanam doctrinam, per pietatem, per bonum exemplum, exercens coelestem sapientiam alios doceat verbo et exemplo (4, 6—16);

b. quomodo efficiat, ut èt aliorum et suiipsius boni sint mores (5, 1—6, 2);

c. quomodo justitiam, id est, sanctitatem omnimodam observando malum vincat (6, 3—19). *Sectare vero justitiam* (6, 11).

2. Conabor respondere. Quomodo praedicare efficaciter possum legem Evangelicam si ipse eam non exemplariter observem? »Ad majorem teneris perfectionem sanctitatis" (Imit. 4, 5). Quomodo praeesse cum fructu possum, si obedire non valeam? »Nemo secure praeest, nisi qui libenter subest. Nemo secure praecipit, nisi qui bene obedire didicit" (Imit. 1, 20). Num fortasse uti magis soleo carnali sapientia quam spirituali? Num in externis moribus

meis, modestia in agendo et loquendo, sum exemplo aliis? Quomodo observo justitiam erga Deum, meipsum, proximum?

3. Dolebo, gratias agam, quaeram fortitudinem apud Jesum.

III. Finis scribendi; excellentia perfectionis clericalis.

1. Finis epistolae est instruere, vel renovare scripto instructiones, verbo olim traditas, circa regimen Ecclesiae, quae defecerat a primo fervore et ad justam formam erat pro circumstantiis redigenda.

2. Pergit Pontificale inferius: »sit doctrina vestra spiritualis m e d i c i n a populo Dei: sit odor vitae vestrae d e l e c t a m e n t u m Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est familiam Dei.“

3. En novum motivum, ut reducam me ad justam formam quam habere debeo in statu meo: ero medicina — ero delectamentum. Quam pulcher finis! Jesus est medicina, Jesus est delectamentum! et ego haec debeo esse!

Colloquium: cum Angelo meo custode, ne obliviscar quis sim, ad quid ingressus in statum clericalem; — cum beata Maria, Matre mea, ut juvet me exsequi propositum meum; — cum Jesu, ut confortet me, gratias agendo pro auxiliis jam praestitis, promittendo me gratum esse futurum.

Meditatio 20.

I Tim. I, I et 2.

I. S. Paulus, 1 Paulus apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostrae:

II. S. Timotheus, III. Tria optima. 2Timotheo dilecto filio in fide, gratia, misericordia et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.

Praeludium 1: considerabo S. Paulum, S. Timotheum, et optima quae mihi optari possunt.

Praeludium 2: videbo S. Paulum, plenum zelo, misericordia, sollicitudine, inspirante Spiritu Sancto, scibentem vel dictantem.

Praeludium 3: rogabo augmentum amoris Jesu, fiduciae, gratitudinis: tria quae facilius ducent ad majorem perfectionem.

Tessera: *gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro* (*1, 12*). Simus semper cum Matre Ecclesia »pro concessis beneficiis gratias referentes, et pro concedendis semper suppliciter deprecantes." (Secr. ex or. ad div. 18).

I. S. Paulus et amor Jesu (v. 1).

1. S. Paulus, scribens ex officio juniori socio suo, in difficilibus versanti circumstantiis, sapienter provocat ad dignitatem suam. Deum Patrem vocat Salvatorem, quia per Filium suum mundum salvavit. — Filium Dei vocat spem nostram, quia Jesus Christus est auctor spei nostrae, in quo nempe spes nostra fundatur. — *Est apostolus ... secundum imperium Dei ... et Jesu,* quia est *vas electionis* et segregatus ad nuntiandum gentibus Evangelium.

2. Recogitabo quam plenus sit S. Paulus Jesu, cujus sanctissimum nomen septies enuntiat in hoc primo capite hujus epistolae; recolam ejus itinera, ejus praedicationes, ejus calamitates: »o quantum potest amor Jesu purus, nullo proprio commodo vel amore permixtus!" (Imit. 2, 11).

3. Quomodo observo auream regulam (Imit. 2, 8): »nec velis quod aliquis tecum in corde suo occupetur, neque tu cum alicujus occuperis amore; sed sit Jesus in te, et in omni bono homine"?

II. S. Timotheus et fiducia (v. 2).

1. S. Timotheus fuit patre natus pagano, matre Judaea, quae cum filio, ut videtur, in primo S. Pauli itinere apostolico (Act. 14, 7—27) ad fidem christianam se convertit. Diligentia aviae et matris, ab infantia sacras litteras edoc-

tus, certe jam discipulus Christi fidelissimus erat, quando S. Paulus in secundo itinere suo Lystris eum sibi comitem adscivit. Circumcisus jussu Apostoli, per solemnem consecrationem initiatus est ad munus episcopi et praedicatoris ab ipso Sancto Paulo, qui de ejus vocatione prophetica revelatione erat admonitus. Postea quoque, tempore prioris carceris Pauli, cum ipso Romae erat. — Reliqua vide in meditatione praecedente. — Vocatur Pauli dilectus vel genuinus filius in fide, quoniam S. Paulus per praedicationem suam eum convertit, et secundum fidem genuit, in qua fide sincerus, verus, germanus fuit filius, aemulusque paternae doctrinae et virtutis.

2. Tria hoc loco consideranda: mea generatio ex parentibus catholicis, piis; decursus vitae meae, plenus circumstantiis, a Providentia volitis vel permissis, ut ducerer ad finem exsistentiae meae; mea regeneratio in baptismo, (in emissione votorum religiosorum), in tonsura, in Ordine.

3. *Ps. 21, 10—12: quoniam Tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae. In Te projectus sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus es Tu, ne discesseris a me.*

III. Cria optima (v. 2).

1. S. Paulus salutat et optat: *gratiam*, ut S. Timotheus perseveret, et augeat meritum,

et rite perfungatur munere suo ecclesiastico; *misericordiam*, ut in difficillimis circumstantiis, praebeantur ei, forsan nimis timido, et nimis inde severo, auxilia divina uberiora; *pacem*, quae est effectus gratiae et misericordiae Dei, paritque tranquillitatem et gaudium Spirituale in mediis tribulationibus. Et a quo exspectanda haec tria, quae hominem felicissimum quantum fieri potest faciunt in hac terra? *a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro.*

2. Considerabo, quantum et ego opus habeam gratiae, misericordiae, pacis in officiis meis quotidianis.

3. Agam gratias pro acceptis auxiliis gratiae, misericordiae, pacis, quibus jam confortatus sum in proelio vitae: gratitudine enim efficaciter invitatur Deus, ut novas praestet gratias.

COLLOQUIUM: a Sancto Paulo petam, ut mihi impetret ut plenus sim Jesu; a Sancto Timotheo magnam fiduciam, non obstantibus difficultatibus; a Jesu gratiam, misericordiam et pacem. Concludam recitando „Pater noster".

Meditatio 21.

I Tim. I, 3—7.

I. a quibus doctrinis abstinendum.

3 Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, 4 neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis: quae quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei, quae est in fide.

II. cui doctrinae intendendum.

5 Finis autem praecepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

III. misera sors vaniloquentium.

6 A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, 7 volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.

Praeludium I: in tribus meditationibus considerabo Sancti Pauli praecepta de genuina praedicatione, et in hac prima videbo: 1° a quibus doctrinis abstinendum sit; 2° cui doctrinae inhaerendum; 3° quam misera sors sit vaniloquentium doctorum.

PRAELUDIUM 2: in tribus meditationibus videbo oculis imaginationis pium et castum juvenem Jeremiam, viginti circiter amnos natum, prae oculis habentem effrenatam populi sui idololatriam, ideoque tremebundum et reluctantem divinae vocationi: *et factum est verbum Domini ad me, dicens: priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te. Et dixi: a a a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me: noli dicere: puer sum; quoniam ad omnia, quae mittam te, ibis: et universa, quaecumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum: quia tecum Ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum: et dixit Dominus ad me: ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes.* (Jer. 1, 4—10). Haec omnia distincte et vivide videre et audire conabor.

PRAELUDIUM 3: humiliter et instanter rogabo id quod volo: sic abstinere a vanitatibus et sic plenum esse Jesu, ut doctrinam ejus efficaciter verbo et exemplo doceam. O Maria, miserere mei ex amore Filii tui, cujus causam defendere debeo.

TESSERA: *in toto corde meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis* (*ps. 118, 10*).

I. A quibus doctrinis abstinendum (v. 3 et 4).

1. Timotheus libenter cum Paulo profectus esset in Macedoniam, sed mansit Ephesi, quia hoc rogaverat Paulus. Qui sicut tunc rogavit, ut remaneret eo fine ut denuntiaret quibusdam, ne aliter docerent ac Christus docuerat, nempe intendendo judaicis mythis et fabulis, et judaicis seriebus generationum, avorum et proavorum, imitantes et ulterius explicantes genealogias quae inveniuntur in libro Genesis, — sic nunc in epistola excitat eum, ut faciat, quae sequuntur, et quae saltem partim sunt eadem quae jam antea ore tenus Timotheo proposuerat.

2. Cur abstinendum a talibus cavillationibus? *a.* quia cavillationes aedificant quidem series, sed non Ecclesiam Dei, quae est fundata in fide; *b.* efficiunt quidem disputationes, sed, eo ipso, non efficiunt charitatem quae est finis legis novae, nec eam ullo modo promovent; *c. Dedique cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque et stultitiam: et agnovi quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus: eo quod in multa sapientia multa sit indignatio: et qui addit scientiam, addit et laborem* (*Eccle 1, 17, 18*). *d.* »quid prodest magna cavillatio de occultis et obscuris rebus, de quibus non arguemur in judicio, quia ignoravimus? Grandis insipientia, quod, neglectis utilibus et necessariis, ultro intendimus

curiosis et damnosis! Oculos habentes, non videmus". (Imit. 1, 3), *e.* quia vana sunt omnia, quae deflectunt a fine; linea quae non dirigitur in centrum, non potest esse radius: finis et centrum omnis creaturae est Jesus.

3. »O veritas Deus, fac me unum tecum in caritate perpetua!" (Imit. 1, 3). Qua intentione studiis, historiis, rumoribus mentem applico?

II. Cui doctrinae intendendum (v. 5).

1. Finis istarum vanarum quaestionum est pugna, odium, inimicitiae; *finis autem praecepti*, id est, praedicationis evangelicae, pro infidelibus quidem et haereticis imprimis est fides, pro fidelibus (quales erant adhuc illi vaniloquentes) vero imprimis *est caritas* erga Deum et erga homines, quam caritatem tam enixe rogavit Jesus Christus post ultimam coenam: *ut omnes unum sint* (*Jo. 17, 21*).

Haec autem caritas hauritur triplici ex fonte, quem praedicator fidelibus aperire, indicare, commendare debet: *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Cur haec tria? »Omnes enim virtutes, ait S. Thomas 2, 2, q., 44, a. 1, de quarum actibus dantur praecepta. ordinantur vel ad purificandum cor a turbinibus passionum, sicut virtutes quae sunt circa passiones; vel saltem ad habendam bonam conscientiam, sicut virtutes quae sunt circa operationes;

vel ad habendam rectam fidem, sicut illa quae pertinent ad divinum cultum; et haec tria requiruntur ad diligendum Deum. Nam cor impurum a Dei dilectione abstrahitur, propter passionem inclinantem ad terrena; conscientia vero mala facit horrere divinam justitiam propter timorem poenae; fides autem ficta trahit affectum in id quod de Deo fingitur, separans a Dei veritate."

3. Quomodo ipse observo cor purum, bonam conscientiam, fidem non fictam? .... veniam petam, meliora proponam in posterum.

III. Misera sors vaniloquentium (v. 6 et 7).

1. Ipso suo modo loquendi probabant isti vaniloquentes, se non intelligere scopum legis et prophetarum, qui est Christi doctrina fidem, spem, caritatem commendans; non vero doctae cavillationes de genealogiis etc. Sors illorum ergo est jactantia odiosa et inscientia misera.

2. Recolam etiam vaniloquentes esse qui non ipsi faciunt quod alios facere docent. »Cujus vita despicitur, quid restat, nisi ut praedicatio contemnatur?" (S. Greg.) »Denegatis in opere quod videmini profiteri in verbo." (S. Chrys.)

3. (*Sap. 9, 4 et 5*) *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis: quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillae tuae, homo infirmus, et exigui*

temporis, et minor ad intellectum judicii et legum.

Colloquium: adibo Sedem Sapientiae, Matrem meam Mariam, ut pro me impetret a Jesu, Filio suo, ut tamquam bonus clericus, plenus Jesu, non amem versari in variis cavillationibus, sed potius in lege Dei. Nonne hoc est quod per singulos versus psalmi 118 quotidie peto in horis diurnis?

Meditatio 12.

1 Tim. 1, 8—11.

I. Lex vetus. 8 Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: 9 sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis, et non subditis, impiis, et peccatoribus, sceleratis, et contaminatis, parricidis, et matricidis, homicidis, 10 fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et perjuris, et si quid aliud sanae doctrinae adversatur,

II. Lex nova. 11 quae est secundum evangelium gloriae beati Dei, quod creditum est mihi.

Praeludium 1: considerabo, quid praedicandum sit, nempe tum lex vetus, tum lex nova.

Praeludium 2: est idem ac in praecedenti meditatione; vide pag. 106.

Praeludium 3: o bona Mater Maria, quae tam sollicite et devote conservasti omnia verba Jesu in corde tuo, assiste mihi, ut bene discam et custodiam omnia quae praedicare postea debeo, praecipue illud mandatum, contra quod animadvertam me pluries solere peccare.

TESSERA: *da mihi intellectum et scrutabor legem tuam et custodiam illam in toto corde meo* (*ps. 118, 34*).

I. Lex vetus (v. 8—10).

1. Contra eos qui toti et fere exclusive occupati erant in scrutanda lege mosaïca, S. Paulus advertit, legem mosaïcam esse bonam, dummodo consideretur et in docendo adhibeatur secundum ipsius naturam, nempe ut umbra futurorum bonorum. Nam pro iis, qui sunt in Jesu Christo justificati, lex non est posita, quia ipsi sibi sunt lex, dum ostendunt opus legis in cordibus suis. Unde in eos non habet lex vim coactivam, sicut habet in injustos. »Non freno opus est obtemperanti equo", ait S. Jo. Chrys. Sed manet etiam justis hoc, quod lex est regula humanorum actuum.

2. Quia Apostolus praecipua peccata enumerat contra decem mandata, juvabit instituere examen circa meipsum, in quantum ego observem mandata. In unoquoque considerando erit locus tum gratiarum actionis, tum fortasse pudoris et doloris.

Si custodes legum eas non observant quid fiet in populo?... Sed quid fiet de custodibus? *Et erit sicut populus, sic sacerdos: et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei* (*Osee 4, 9*).

Prior pars decalogi, respiciens directe Deum, *est posita*:

injustis, i. e. iis, qui sine lege concupiscentiis indulgent. Quid ego?

non-subditis, i. e. iis, qui quamquam legem cognoverunt, ei non obediunt. Quid ego?

impiis, et peccatoribus, i. e. iis, qui Deum contemnunt. Quid ego?

sceleratis et contaminatis, i. e. iis, qui nihil sanctum existimant. Quid ego?

Altera pars decalogi, respiciens proximum, *est posita*:

parricidis et matricidis, qui agunt contra quartum praeceptum. Quae est mea obedientia et reverentia?

homicidis, qui agunt contra quintum praeceptum. Quid de positiva mea cura vitae propriae?

fornicariis, masculorum concubitoribus, qui secundum et contra naturam, agunt contra sextum et nonum praeceptum. Quid de mea sobritate, castitate, modestia morum et cultus?

plagiariis (recole *Exod. 21, 16: qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum, convictus noxae, morte moriatur*) qui agunt contra septimum et decimum praeceptum. Quomodo ego reddo unicuique suum? ipsā justitiā, dein pietate, observantia, obedientia, gratitudine, vindicatione, veracitate, affabilitate, liberalitate, misericordia?

mendacibus et perjuris, qui agunt contra octavum praeceptum. An mentitus sum? detraxi?

temerarie suspicatus sum? contumeliosus fui? revelavi injuste secreta?

3. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (*ps. 50, 1*).

II. Lex nova (v. 11).

2. Apostolus suam doctrinam vocat sanam: doctrina contraria jam non erat per se haeretica sed insana. — Quod lex mosaica est pro peccatoribus, *est secundum Evangelium gloriae beati Dei*, id est secundum Evangelium habens pro objecto gloriam, id est potentiam, sapientiam, bonitatem, amorem, misericordiam Dei, qui beatus est in possessione omnis perfectionis. Et hoc Evangelium *creditum est*, non illis insanis doctoribus, sed Paulo.

2. Quid circa haec est considerandum? Etiam mihi creditum est vel erit Evangelium. Et in quo consistit summatim lex Evangelii? In caritate Dei quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (*Rom. 5, 5*). — Quae est mea aestimatio gratiae sanctificantis? Quid facio, ne perdam eam? Quid facio, ut augeam eam semper?

3. *Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque* (*ps. 118, 8*).

Colloquium: contra quodnam ex decem mandatis saepius pecco? Hujus praecise mandati observantiam strictiorem et perfectiorem rogabo a Matre mea, dein a Jesu.

Meditatio 23.

I Tim. I, 12—20.

I. Vocatus est S. Paulus,

12 Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio: 13 qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 14 Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione, quae est in Christo Jesu.

II. ad enuntiandum consilium misericordiae,

15 Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere quorum primus ego sum: 16 sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi, in vitam aeternam. 17 Regi autem saeculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

III. ad quod enuntiandum etiam Timotheus vocatus est.

18 Hoc praeceptum commendo tibi fili Timothee, secundum praecedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, 19 habens fidem, et

bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragerunt: 20 ex quibus est Hymenaeus, et Alexander: quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare.

PRAELUDIUM 1: considerabo ad genuinam praedicationem requiri insuper tria: vocatum esse, persuasum habere Christum venisse ad salutem peccatorum, militare bonam militiam.

PRAELUDIUM 2: idem ac in praecedentibus meditationibus, pag. 106.

PRAELUDIUM 3 rogabo per beatam Mariam Virginem stabilitatem in vocatione, firmam persuasionem misericordiae Dei, curam bonae conscientiae.

TESSERA: *Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro: v. 12.*

I. Vocatus est S. Paulus (v. 12—14).

1. *a.* S. Paulus, totus in illo, ut doceat et confortet S. Timotheum, dum ei in mentem venit, sibi creditum esse Evangelium gloriae, eo libentius in commemorationem suae vocationis gratus erumpit, quo clarius ex ea pateat, non sic peccatoribus esse legem mosaïcam, ut Christus nihil iis attulerit, sed veritatem Evangelii esse fundamentalem hanc: Christum venisse ad salutem peccatorum.

b. Cur tam gratus est? Quia Deus fidem ei habuit, eum ponens in aliquo ministerio; quam-

quam olim tantus erat adversarius; tandem quia non solum veniam accepit sed abundantem gratiam, confortatus in ipsa vocatione prope Damascum et in baptismo ab Anania accepto et deinceps.

c. Cur tali misericordia Deus cum illo egit? Quia fidelis futurus erat; quia non sciens-volens persecutus est Christum; quia tenturus erat acceptam fidem et dilectionem, quae utraque est in Christo Jesu. Tandem aliquando quia vas electionis erat.

2. Quid circa haec omnia est considerandum? *a.* Vocatio formaliter consistit in consilio divinae Providentiae, quo aliquem ad clericatum eligit, et eidem congrua consilia confert ad speciales hujus status obligationes ferendas. Supponit vocatio scientiam competentem et morum sanctitatem. Haec de meipso interpretabor.

b. Nonne ego similia ac S. Paulus habeo motiva gratitudinis?

c. Num et ego habeo characterem fidelitatis?... Num ita sentio, ut sciens volens ne minima quidem re velim offendere Deum?... Num firmus sum in fide et dilectione?

d. Audiens ex ipso Apostolo, blasphemias ejus in Christum et persecutionem Christianorum ignorantiae potius quam malitiae esse tribuendas, discam abstinere ab omni judicio temerario de peccatis proximi, quorum multa simili modo ex ignorantia fiunt, ideoque pec-

cata mere materialia sunt et recta quandoque intentione subjective actus boni sunt et meritorii.

3. Praeter omnes alios affectus, hoc loco eliciam actum gratitudinis, cujus tria commoda: placet Deo, gratias jam acceptas magis aestimare facit, novas gratias impetrat.

II. Ad enuntiandam consilium misericordiae (v. 15—17).

1. v. 15a est formula firmae persuasionis (cfr. 4, 9; 2 Tim 2, 11; Tit. 3, 8).

v. 15b: huic assertioni (Mt. 9, 13, 18, 11; Mr. 2, 17; Luc. 19, 10) non repugnat sententia, Christum etiam venturum fuisse, si nullus fuisset peccator.

v. 15c: »primus peccatorum omnium est humilitate, quae in omnibus vere poenitentibus primum locum obtinet" (Theodoretus).

v. 16: cur ipse S. Paulus misericordiam consecutus sit, jam dixit v. 13; nunc addit, quo fine. Salvator enim »ad exemplum ceterorum credentium persequentem Se vocavit ad gratiam, ut per potentiam suam et magnanimitatem in eo ostenderet ceteris, qui inimico tam benevolus exstiterit, qualis esset futurus ad se decurrentibus" (Ambrosiaster).

2. Multa hoc loco considerari possunt, sed imprimis insistam huic considerationi, quod debeo, sicut Christus, excellere misericordia erga peccatores. Boni clerici est, sibi applicari

S. Augustini illa de Christo verba, quae allegat S. Thomas, 3. q. 43. a. 4. ad 2: »Judicet qui potest utrum majus sit justos creare quam injustos justificare. Certe si aequalis est utrumque potentiae, hoc majoris est misericordiae."

3. Considerans hujus divinae misericordiae aeternum consilium, prorumpam in doxologiam (v. 17), quam sacerdos quotidie in Prima cum S. Paulo repetit. Devoto animo perpendam singula verba.

III. Ad quod enuntiandum etiam S. Timotheus vocatus est (v. 18—20).

1. S. Paulus hanc doctrinam salutis tamquam depositum dilecto filio commendat, quem quamvis adolescentem, tamen jussu Spiritus Sancti, elegerat ad munus episcopale eo fine ut defenderet illam doctrinam, tum hauriens fortitudinem ex persuasione, se a Spiritu Sancto ad hoc esse electum, tum habens fidem et bonam conscientiam.

2. Quid circa haec est considerandum? *a.* ad hunc finem, etiam meum finem, praeter vocationem, requiri fidem et bonam conscientiam; *b.* S. Paulum hoc loco docere id cujus experientiam habet historia hominum, nimirum: naufragium fidei non esse primum, sed huic praecedere semper amissionem bonae conscientiae (Jo. 3, 19: 7, 7 — Rom. 1, 21 seqq. — Act. 24, 25); *c.* qui jugum Dei abjicit, in

manus diaboli incidit, quod pejus est quam excommunicari.

3. Rogabo, ut qui dederit mihi velle, det mihi etiam perficere.

COLLOQUIUM: cum S. Paulo, ut mihi, qui etiam vocatus sum ad enuntiandum hominibus consilium misericordiae, impetret stabilitatem in vocatione, firmam persuasionem misericordiae Dei, curam bonae conscientiae. Triplicem hanc gratiam simili modo petam, plenus gratitudine pro acceptis beneficiis, a beata Maria Matre, et a Jesu Christo Domino nostro.

Meditatio 24.

1 Tim. 2, 1—7.

I. Modus orandi,
II. finis orandi,
III. causa orandi.

1 Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: 2 pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate; 3 hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, 4 qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. 5 Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: 6 qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis: 7 in quo positus sum ego praedicator et apostolus (veritatem dico, non mentior), doctor gentium in fide, et veritate.

Praeludium 1: in duabus meditationibus meditabor de quibusdam rebus, quae pertinent ad Episcopi praelaturam in cultu divino externo, et in prima quidem de modo, de fine, de causa orandi publice.

PRAELUDIUM 2: audiam Israëlitas cantantes in templo suo: *Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae et rege eos, et extolle illos usque in aeternum* (*ps. 27, 9*). *Domine salvum fac regem: et exaudi nos in die qua invocaverimus te* (*ps. 19, 10*).

PRAELUDIUM 3: rogabo apostolatus orationis spiritum, per beatam Mariam Virginem, quae in hoc apostolatu tantopere excelluit.

TESSERA: Cor sacrum Jesu, adveniat regnum tuum (300 d. t. q.).

I. Modus orandi (v. 1).

1. Quia *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere;* quia *finis praecepti est caritas;* quia militare debemus *bonam militiam;* quia quidam jam *circa fidem naufragaverunt,* ante omnia, quae S. Paulus injungere vult, obsecrat, ut fiant preces publicae omnis generis, tum ad nova beneficia divina impetranda (*obsecrationes*, *orationes*, *postulationes*) tum ad ostendendum gratum animum pro beneficiis acceptis (*gratiarum actiones*). (Tria priora latine fere synonyma sunt, sed ratione habita textus graeci in *obsecrationibus* praedominatur persuasio propriae paupertatis et inopiae, in *orationibus* recursus ad Deum; in *postulationibus* saltem connotatur intercessio pro aliis, quam hoc loco potissimum Apostolus intendit. Addit enim: *pro omnibus hominibus*).

2. Cum S. Augustino considerabo in Sacrificio Missae adhiberi hos quattuor precandi modos: usque ad Canonem fit obsecratio, per ipsum Canonem oratio; inde a »Pater Noster" postulatio, post Missam gratiarum actio.

3. Examinabo me circa meam devotionem in Sacrificio Missae; veniam petam; media adhibebo ut melius fiat.

II. Finis orandi (v. 2).

1. Finis, cui petitur, sunt omnes homines, imprimis ii, qui multum prodesse vel obesse possunt saluti animarum. Finis, qui intenditur, est, *ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate* (i. e. morum gravitate).

3. Num in spiritu mediatoris, Jesum Christum, Exemplar meum, sequens, omnia opera mea perago? a primo mane usque ad vesperam?

III. Causa orandi (v. 3—7).

1. Causa sic orandi *pro omnibus* est: quod haec oratio bona est et accepta coram Deo (v. 3), quod Deus *omnes homines vult salvos fieri (v. 4)*. Et hujus voluntatis salvificae universalis ratio datur: quod *unus*, ideoque omnium Deus est, et *unus* quoque *Mediator Dei et hominum* omnium, homo Christus Jesus (v. 5), qui consequenter *pro omnibus*

mortuus est (v. 6). Quae mors Christi Redemptoris documentum est voluntatis illius generalis, a Paulo praedicandum (v. 6—8).

2. Hoc loco consideranda est gravissima doctrina de Dei voluntate salvifica universali. »Deus antecedenter" (ad mortem in statu gratiae vel injustitiae praeviso) »vult omnem hominem salvari; sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam suae justitiae" (1. q. 19. a. 6, ad 1). Practice igitur omnia pendent a propria voluntate hominis, quae voluntas tamen ita per uberiores gratias potest inclinari, ut homo se Dei servitio tradat, eique fidelis maneat usque ad mortem. Has uberiores gratias ego apostolatu meae orationis acquirere possum.

3. Cor — Sacrum — Jesu, — adveniat — regnum — tuum!

Colloquium: Adjuro te, o bona Mater Maria, ut sis »refugium peccatorum"; adjuro te, o dulcissimum Cor Jesu, ut misericordiam tuam efficaciter effundas super omnes qui hucusque currunt ad infernum!

Meditatio 25.

1 Tim. 2, 8—15.

I. locus orandi;
II. quomodo viri orare debeant;
III. quomodo mulieres in Ecclesia gerere se debeant.

8 Volo ergo viros orare in omni loco,
levantes puras manus sine ira et disceptatione.
9 Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: 10 sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 11 Mulier in silentio discat cum omni subjectione. 12 Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio. 13 Adam enim primus formatus est, deinde Heva; 14 et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit. 15 Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.

Praeludium 1: ad praelaturam Episcopi in cultu externo etiam pertinet indicare locum, et circumstantias orandi pro utroque sexu.

PRAELUDIUM 2: videbo historiam lapsus Evae, et praecipue intime perspicere conabor, quam verum dixerit S. Augustinus: »visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus.“ *Gen. 3, 6: vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit; deditque viro suo, qui comedit.*

PRAELUDIUM 3: rogabo beatam Mariam Virginem, ut eam imiter modestia morum, qua motus et gestus corporis ex praescripto rationis temperantur *a.* in omni loco, *b.* praecipue in oratione, *c.* speciatim quoad modestiam oculorum.

TESSERA: *averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me* (*ps. 118, 37*).

I. Locus orandi (v. 8a).

1. *In omni loco*, quo conveniunt Christiani, orari publice potest, non tantum in templo Hierosolymitano et in Synagogis.

2. Considerabo rationem hujus rei datam esse ab ipso Christo (Mt. 18, 20): *ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

3. Examinabo me, eane modestia et reverentia orem, ut locus, ubicumque sum, sit quasi *domus orationis* (Mt. 21, 13).

II. Quomodo viri orare debeant (v. 8b).

1. In memoriam revocabo: quoad elevationem manuum: (3 Reg. 8, 22) *stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiae Israël, et expandit manus suas in coelum;* (2 *Mach. 3, 20*) *universae autem* (mulieres) *protendentes manus in coelum deprecabantur;* (*ps. 140, 2*) *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* — Quoad manus puras: (*Is. 1, 15*) *et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveris orationem, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* — Quoad orationem sine ira et haesitatione (vulg. disceptatione): (*Mt. 5, 23, 24*) *si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum.* — (*Mt. 21, 21*): *Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non haesitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis: tolle, et jacta te in mare, fiet.* (Jac. 1, 6).

2. Considerabo circa haec: *a.* in Sacrificio Missae Sacerdotem ad orationes, praefationem, canonem et »Pater noster" manus suas extendere ut demonstret sese oratione convertere ad

Deum, non tantum verbis, sed etiam actione et toto corpore. *b.* Juxta Cyr. Alex. lotiones manuum symbolice significare purificationem actionum nostrarum. *c.* *Judith 9, 16: humilium et mansuetorum semper Tibi placuit oratio.*

3. Examinabo me circa reverentiam meam exteriorem coram Sanctissimo.

III. Quomodo mulieres orare debeant (v. 11—15).

1. *a.* Sit earum cultus vestium decens, sed modestus et sine luxu, et studeant praecipue ornatui virtutum; *b.* in Ecclesia audiant doctrinam in silentio et subjectione (v. 11), quia (v. 14) sicut Eva deceptioni patuit, non Adam, sic generatim mulieres magis obnoxiae sunt deceptionibus quam viri. Dein, ne in Ecclesia auctoritatem sibi in virum arrogent, quia Adam sicut prior fuit ortu, sic et dignitate et praestantia (1 Cor. 11, 8 sqq.); *c.* consequi potest salutem mulier, non publice orando, sed generando in dolore, educando cum sollicitudine, dummodo vigeat fides et dilectio et conatus ad perfectionem Christianam et haec omnia cum gravitate et modestia morum.

2. Quae mihi circa haec tria sunt considerandа? *a.* S. Augustinus (serm. 161, 11): »corporis hujus, i. e. exterioris hominis ornamenta quanto magis appetuntur, tanto sunt

interioris majora detrimenta." Juxta S. Thomam, ut irreprehensibilis sit ornatus, tria requiruntur: recta intentio, consuetudo patriae et conditio status. *b.* Considerabo, quando et ubi mihi, clerico, conveniat tacere, et subjicere me auctoritati superiori: si senior sum: Eccl. 32, 4—6; si junior: ibid. v. 10—14.

c. quoad medicamentum salutis pro muliere, considerabo, me etiam ut clericum, debere generare non sine dolore Jesum Christum in animis fidelium, constanti fide, spirituali dilectione, sanctificando meipso: et haec omnia cum modestia morum et cultus.

3. Examinabo me circa haec, quae quamvis pro me non directe pertineant ad modum orandi, tamen juvabunt ad bene orandum hoc ratiocinio: si in omni loco haec debent esse principia mea in ratione vestitus, conversationis, operationis, a fortiori ubi in loco sacro ut minister Ecclesiae perfungor officio sacro.

COLLOQUIUM: cum Sancto Angelo meo custode, ut adsit mihi, et juvat me in omnibus orationibus et actionibus liturgicis bene perficiendis; cum Matre Jesu Christi, ut eadem reverentia et pietate, qua tractavit ipsa semper Corpus sacrosanctum Filii sui, et ego tractem Corpus Jesu eucharisticum. Et ut coöperer cum gratia quam rogo, proponam in omni loco, praecipue quando oro, modestiam morum in genere et oculorum praecipue sedulo observare.

Meditatio 26.

1 Tim. 3, 1—7.

I. munus eximium

1 Fidelis sermo: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

II. requirit dotes quoad temperantiam,

2 Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, 3 non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum,

III. quoad prudentiam, justitiam, fortitudinem,

sed 4 suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate. 5 Si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?

IV. quoad aetatem,

6 Non neophytum: ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.

V. quoad bonam famam.

7 Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

Praeludium 1: in duabus meditationibus considerabo ea quae pertinent ad Episcopi praelaturam in hierarchica dispositione, et in hac quidem praesenti meditatione: de dotibus in episcopis et presbyteris requisitis.

PRAELUDIUM 2: Sistam me ante Jesum Christum, Salvatorem et Exemplar meum, qui mihi dicit: *veni, sequere me* (*Mt. 19, 21*).

PRAELUDIUM 3: rogabo beatam Mariam Virginem, ut bene faciam meam meditationem, et magis magisque similis fiam Exemplari meo: atque ut juvet me, omnia reducere ad materiam examinis mei particularis.

TESSERA: Da, Domine, quod jubes et jube quod vis" (S. Aug.).

I. Eximium est munus episcopatus et presbyteratus (v. 1).

a. Fidelis sermo: i. e. quae nunc dicam certissima sunt et maximi momenti. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (*1 Reg. 3, 9*).

b. si quis episcopatum desiderat: i. e. fieri episcopus aut presbyter. »Presbyteri intelliguntur cum episcopis" (S. Thom.).

c. bonum opus desiderat: (S. Thom. in h.l.). »Duo sunt consideranda in episcopo, scilicet gradus superior et actio plebi utilis. Aliqui projiciunt oculum ad ea quae circumstant eum, scilicet quod qui praeest honoratur et quod habet potestatem. Et qui propter ista desiderat episcopatum, nescit quid sit episcopus. Et ideo dicit apostolus quid sit episcopus et quid desideret qui episcopatum desiderat, quia bonum opus. Non dicit: bonum desiderium habet, sed: bonum opus, scilicet utilitatem

plebis." O bone Jesu, ego desideravi sacerdotium; volo desiderare non meam, sed tuam gloriam, non meam, sed populi tui utilitatem.

d. Oportet ergo: quia opus praeclarum est, requirit dotes eximias. *Oportet*, nam debeo optare, ut sim bonus sacerdos. An sincere volo?

II. Quae requirantur quoad temperantiam (v. 2 et 3).

a. Irreprehensibilem esse: Ecclesia sentit »ministros Ecclesiae fide et opere debere esse perfectos" (Pontificale). Papa Hormisdas in ep. 25: »irreprehensibiles esse convenit, quos praeesse necesse est corrigendis." Videbo Exemplar meum, dum dicit: *quis ex vobis arguet me de peccato (Jo. 8, 46)?*

b. unius uxoris virum: qua dictione sane viduus quoque unius uxoris comprehenditur. Requiritur ergo vir continens, qui saltem secundas nuptias, etiam licitas, non appetat, ideoque, si matrimonio junctus est, perfectam ejusdem seu idealem rationem sectetur, quae est unio stabilis unius cum una.

c. sobrium: in omnibus scilicet quae a sensibus appetuntur, ut spiritus dominetur et ad operandum sit quam aptissimus. Inspice et fac secundum Exemplar.

d. prudentem: habeat primam etiam ex virtutibus cardinalibus: quae virtus est intellectus, qua quis in quovis negotio occurrente

novit, quid honestum sit, quid turpe. »*Estote ergo prudentes sicut serpentes*" (*Mt. 10, 16*).

e. ornatum, pudicum: i. e. ordinate viventem in omnibus: Trid. s. 22. de ref. 1: »sic decere omnino clericos vitam, moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu nihil nisi grave, ac religione plenum prae se ferant."

f. hospitalem: et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, Me suscipit (*Mt. 18, 5*).

g. doctorem: requiritur, ut patet, aptitudo tum ad docendum Evangelium, tum ad docendum servare omnia quae Apostolis et eorum successoribus mandavit (Mt. 28, 20) Christus.

h. non vinolentum: S. Hier. ad Nepot.: »facile contemnitur clericus, qui saepe vocatus ad prandium ire non recusat." Idem ad Ocean.: »venter mero aestuans cito despumat in libidines" *Prov. 20, 1: luxuriosa res vinum.*

i. non percussorem: sive lingua, sive manu: percussori in hoc ultimo sensu potest oriri irregularitas, ex defectu nempe lenitatis. *Sed modestum*: *Mt. 10, 29*: *mitis sum et humilis corde.*

j. non litigiosum: ergo a rixis et litibus abstineat. *Abstine te a lite, et minues peccata* (*Eccli. 28, 10*).

k. non cupidum: ne amator sit argenti, et bonorum temporalium, quae »possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant"

(S. Bern. ep, 103). Recolam me accipientem tonsuram, dixisse: *Dominus pars haereditatis meae; tu es qui restitues haereditatem meam mihi* (*ps. 15, 5*). »Si igitur Deus portio ejus est, non levem creatori suo contumeliam videtur inferre, qui aestuat pecuniam cumulare" (S. Petr. Damian.). »Ignominia est sacerdotis, studere divitiis" (S. Hier.).

III. Quae quoad reliquas virtutes cardinales (v. 4 et 5).

Recolam hoc loco: *Luc. 16, 10: qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est: et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.*

IV. Quae quoad aetatem (v. 6).

S. Thom. in h.l.: »quando aliquis de novo veniens ad conditionem aliquam promovetur, reputat se aliis meliorem et valde necessarium, quasi nisi ipse esset, non haberent, unde provideretur Ecclesiae." Sed tum cadet in damnationem Luciferi, qui neophytus in coelo, superbiit. Est ab Ecclesia statuta irregularitas: defectus fidei confirmatae.

V. Quae quoad bonam famam (v. 7).

Defectus quoque famae est irregularitas. Bene ergo audiat apud eos qui sunt extra Ecclesiam;

i. e. infideles; ne, apud eos contemptus, 1° fiat probrosus, 2° et sic ejus auctoritas minuatur, 3° et auferatur audacia corrigendi; 4° laqueus diaboli potest esse ét quod, qui infamatur concitetur ad odia, èt quod per infamiam Superioris Ecclesiae tota Ecclesia odiosa fiat.

Colloquium: cum Jesu, qui in his omnibus exemplum meum fuit et est; cum Maria, ut impetret mihi èt gratiam qua possim sequi Jesum èt attentionem bonamque voluntatem, qua reapse Eum sequar.

Meditatio 27.

1 Tim. 3, 8—13.

I. Dotes diaconi,

8 Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: 9 habentes mysterium fidei in conscientia pura. 10 Et hi autem probentur primum: et sic ministrent, nullum crimen habentes.

II. Dotes diaconissae. (ad I),

11 Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.

12 Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis suis bene praesint, et suis domibus.

III. Quae promittantur diacono.

13 Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu.

Praeludium 1: considerabo dotes diaconorum.

Praeludium 2: videbo ea quae faciebant Apostoli, dum Jesus cibabat auditores suos in deserto. *Cum jussisset turbam discumbere super foenum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in coelum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis* (*Mt. 14, 19*). *Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et*

impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his qui manducaverunt. (Jo. 6, 12 et 13).

PRAELUDIUM 3: rogabo Jesum et Mariam, ut dotes, requisitas in diaconis, acquiram et conservem, ut illa officia diaconorum, quae ego praestare debeo, rite peragam.

TESSERA: *Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam (ps. 118, 57).*

I. Dotes diaconi (v. 8, 9, 10, 12).

Singula verba perpendam: *diaconos*: hi sunt ministri Episcoporum, non solum in custodia thesauri Ecclesiae et in distributione eleemosynarum, sed etiam in baptizando et in concionando; tum quoque in Sacrificio Missae, in quo olim calicem Sanguinis Domini populo ministrabant. Juxta Missale Romanum, postquam in Missa solemni sacerdos solus obtulit panem: »ego, indignus famulus tuus" . . ., debet cum Diacono offerre vinum: »Offerimus . . . . — quomodo ego distribuo S. Communionem?

a. pudicos: honestos, graves, »Ut se pudicos servent Episcopi et Ecclesiastici, maxime vitare debent consortia mulierum" (Corn. a Lapide), secundum exempla S. Augustini, S. Francisci Xaverii, et effata plurimorum sanctorum scriptorum.

b. non bilingues: cujus rei periculum erat

diaconis, quia stabant quasi inter Presbyteros et laicos. »Nihil autem ita nos degenerare a spirituali nobilitate facit, nihilque in Ecclesia nocet magis, quam versuta simulatio" (S. Jo. Chrys.).

c. non multo vino deditos: *a.* ne intellectus hebetetur; *b.* ne scandalum dent. »Consolatores nos potius laici in moeroribus suis, quam convivas in prosperis noverint" (S. Hier. ad Nepot.).

d. non turpe lucrum sectantes: hoc quoque periculum erat diaconis, quia ministrabant eleemosynas. Recolam, clericis a canonibus esse prohibitam negotiationem quaestuosam.

e. v. 9.: i. e. studeant e contra pura conscientia (sine iis vitiis enumeratis) novisse et colere universam religionem christianam cum omnibus fidei mysteriis. — Recolam, ideo verba *mysterium fidei* applicata esse Sanguini Domini, sub specie vini latenti, quia »in eo maxime", ut ait Catech. Conc. Trid. »plurimum difficultatis et negotii humana ratio experiatur, cum nobis fides credendum proponit Christum Dominum, verum Dei Filium, simulque Deum et hominem mortem pro nobis pertulisse, quae quidem mors Sanguinis Sacramento designatur."

f. v. 10: a. v. ne sint neophyti, sed viri probati. Rogabo perseverantiam in bono.

g. sint unius uxoris viri: eamdem igitur ac Episcopi observent continentiam: (hodie utique juxta hodiernas Ecclesiae leges).

h. qui filiis suis, etc.; recolam, quod plures ideo non habent auctoritatem in subditos, quia seipsos gubernare in tranquillitate nesciunt.

II. Dotes diaconissae (v. 11).

(Examinabo meum agendi modum cum monialibus, zelatricibus, aliisque devotis mulieribus). 1 *pudicas*: unde ego, si aliquando cum mulieribus mihi agendum est, curabo, ne in minimis quidem, sive jocis sive familiaritatibus, offendam earum pudicitiam.

2. *non detrahentes*: curabo, ne conversatione mea, ansam praebeam loquacitati detractatoriae mulierum.

3. *sobrias*: i. e. sobrias, vigilantes, prudentes. Sim exemplum.

4. *fidelis in omnibus*: tum in re familiari, tum in re ecclesiastica.

III. Quae promittantur diacono (v. 13).

1. *gradum bonum acquirent*: *a.* in coelo, *b.* in perfectione christiana, *c.* in aestimatione populi, *d.* »promoveri merentur in gradum altiorem" (S. Thom.) Presbyteratus, Episcopatus. »Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit: forte meliorem, qui bene vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque" (S. Bern. serm. 3, de assumpt).

2. *et multam fiduciam* (i.e. libertatem docendi

et arguendi, non nitentem honore officii, propriis dotibus naturae, sed) *in fide quae est in Christo Jesu*. Quam verum est in bono clerico: *Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? (ps. 26, 1)*.

COLLOQUIUM: coram Jesu et Maria laudibus efferam sanctum statum presbyteratus, *a.* ad quem requiruntur a S. Paulo 16 dotes, a diacono 8, a diaconissa 4; *b.* qui dicitur *bonum opus*, cum diaconatus tantum spem det in bonum gradum; *c.* qui non tantum bilinguitatem (v. 8) excludit, sed et prudentiam (v. 2) exigit; *d.* qui non tantum abhorret a *multo* vino (v. 8) sed ab omni vinolentia (v. 3); *e.* qui non tantum requirit fidem in conscientia pura, sed etiam facultatem docendi hanc fidem. — Gratias agam pro mea vocatione ad Sacerdotium et proponam, per examen particulare amovere impedimenta perfectionis clericalis in officiis diaconicis.

Meditatio 28.

I Tim. 3, 14—4, 5.

I. Sollicitudo S. Pauli;

14 Haec tibi scribo, sperans me ad
te venire cito; 15 si autem tardavero,
ut scias quomodo oporteat te in domo
Dei conversari,

II. supereminentia Ecclesiae;

quae est ecclesia Dei vivi, columna
et firmamentum veritatis. 16 Et mani-
feste magnum est pietatis sacramentum,
quod manifestatum est in carne, justi-
ficatum est in spiritu, apparuit angelis,
praedicatum est gentibus, creditum est
in mundo, assumptum est in gloria.

III. periculum falsorum doctorum.

1 Spiritus autem manifeste dicit, quia
in novissimis temporibus discedent
quidam a fide, attendentes spiritibus
erroris, et doctrinis daemoniorum, 2 in
hypocrisi loquentium mendacium, et
cauteriatam habentium suam conscien-
tiam, 3 prohibentium nubere, abstinere
cibis quos Deus creavit ad percipiendum
cum gratiarum actione fidelibus, et iis
qui cognoverunt veritatem. 4 Quia omnis
creatura Dei bona est et nihil rejicien-
dum quod cum gratiarum actione per-
cipitur: 5 sanctificatur enim per verbum
Dei, et orationem.

PRAELUDIUM 1: considerabo quanti sit momenti munus Timothei 1° ex sollicitudine S. Pauli, 2° ex eminentia Ecclesiae, 3° ex periculo falsorum doctorum.

PRAELUDIUM 2: videbo Jesum, Salvatorem meum, plenum dignitatis, firmissimo assensu, summa cum auctoritate dicentem: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (*Mt. 16, 18*).

PRAELUDIUM 3: rogabo augmentum fidei et fiduciae, ut quotidianas meas functiones peragam in praesentia Dei et alacri animo.

TESSERA: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* (*Rom. 8, 31*).

I. Sollicitudo S. Pauli (v. 14 et 15a).

1. Quis? quid? cur? Quamquam S. Paulus sperat se cito ad Timotheum venturum, tamen scripsit omnia quae praecedunt, ut si praeter voluntatem diutius tardet, Timotheus sciat, quomodo se gerere debeat in gubernanda domo Dei.

2. Considerabo, quantam habuerit pro me Ecclesia curam, ut bene praeparatus ascenderem ad Sacerdotium, et quot media habeam in quotidiano Sacrificio Missae, in quotidiana recitatione Breviarii, in gerendo vestitu clericali, etc. etc., ut pura conscientia et sancta fortitudine et felici cum successu perficiam ea, quae ipsa a me requirit.

3. Examinabo me quomodo utar his mediis, et excitabo me ad gratitudinem erga Deum et Ecclesiam, et ad fervorem Spiritus per fidem et fiduciam.

II. Supereminentia Ecclesiae (v. 15b et 16).

1. *a.* Est Domus Dei, quia Deus in ea tamquam in domo sua habitat et quia membra ejus sunt filii Dei.

b. Ecclesia Dei vivi: non idolorum mortuorum, sed Illius, qui ut Deus-Homo dixit: *aedificabo Ecclesiam meam.*

c. Columna et firmamentum veritatis: sicut columna partem superiorem templi sustentat, imo, sicut fundamentum universum aedificium sustinet, ita Ecclesia sustentat et sustinet — quo alio modo nisi per magisterium ejus infallibile? — universam Christianam veritatem.

d. Quam sublimis et gloriosa est illa veritas, cujus Ecclesia est columna et firmamentum! Est etenim *sacramentum* (quia revelatione ad nos pervenit) *pietatis* (quia plenum misericordiae, quia requirit animos pios); sacramentum imprimis est Incarnatio Verbi et dispensatio Carnis ab Eo assumptae (C. a. L.).

e. Tandem quam gloriosus est Sponsus Ecclesiae, Jesus Christus, in cujus honorem canunt Christiani canticum alternantium vocum:

Manifestatus est in carne — demonstratus in spiritu (i. e. esse in natura divina);

Visus est ab angelis — praedicatus gentilibus;

Creditus est in mundo — assumptus est in gloria.

2. Quanta mihi etiam sunt haec argumenta ut plenus fide et fiducia, numquam deficiam.

3. Optabo omnia prospera et fausta Regno Jesu: in ps. 20, v. 2—8 inveniam affectus gratitudinis pro gloria Jesu data a Patre; v. 9—14: gratulationes. — Dein effundam me in actus amoris Jesu Christi, Filii incarnati omnipotentis Dei:

Salutis humanae Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta lux amantium.

Tu dux ad astra, et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrimarum gaudium,
Sis dulce vitae praemium.
(Brev. in Asc. Dni).

III. Periculum falsorum doctorum (4, 1—5).

1. S. Paulus monet S. Timotheum adversus pseudo-doctores, qui falsas doctrinas, a daemone inspiratas praedicabunt, qui externe quidem videbuntur incautis esse veri doctores, interne

autem in conscientia portabunt condemnationem suam; qui prohibebunt matrimonium et usum ciborum quorundam. Quoad matrimonium jam satis dixit S. Paulus 2, 15. Quoad usum ciborum nunc docet: nullos cibos per se esse malos; sed cum gratiarum actione sumendos, nam etiamsi post lapsum primi hominis sit »maledicta terra", fructus ejus cum gratiarum actione sumpti (id quod sicut oportet, fit imprimis a *fidelibus*, nempe ab *iis*, *qui cognoverunt veritatem*), boni sunt, quippe qui sanctificati sint per preces quas Christiani solent ante et post mensam fundere.

2. Consideranda: *a.* quoad periculum errorum: *α.* Spiritum Sanctum praevidisse omnia; *β.* Eumque multa mala praedixisse (v. 1); *γ.* solutionem difficultatum inveniri in doctrina revelata (v. 4 et 5).

b. quoad doctrinam de cibo: *α.* omnem creaturam esse bonam (Gen. 1, 31); *β.* Deum indicasse nobis cibum (Gen. 1, 29 et 9, 3); *γ.* nos, orando antequam sumimus cibum, Deum profiteri donorum omnium distributorem: »oculi omnium in Te sperant Domine, et Tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis Tu manum tuam, et imples omne animal benedictione" (Ben. Mensae); *δ.* nos orando sanctificare cibum in symbolum convivii aeterni: »Mensae coelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae". (Ben. Mensae); *ε.* nos eo ipso munimentum ponere contra intemperantiam.

3. Excitabo me quoad *a*. ad fiduciam; examinabo me quoad *b*. circa orationes meas ante et post mensam.

COLLOQUIUM: cum Jesu, quem in omni difficultate invocabo: Mane nobiscum Domine — Et nos illustra lumine — Pulsa mentis caligine — Moestos reple dulcedine. — Ave Maria!

Meditatio 29.

1 Tim. 4, 6—11.

I. De bona doctrina servanda.

6 Haec proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, et bonae doctrinae quam assecutus es. 7 Ineptas autem et aniles fabulas devita:

II. de pietate exercenda,

exerce autem teipsum ad pietatem.

III. de incitamentis ad pietatem ducentibus.

8 Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est, et futurae. 9 Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. 10 In hoc enim laboramus, et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. 11 Praecipe haec et doce.

Praeludium 1: incipit secunda pars epistolae. Priore loco S. Paulus docet et inculcat quomodo per pietatem, per bonum exemplum exercens coelestem sapientiam, eamdem alios doceat. Et in hac meditatione quidem agam de bona doctrina servanda, de pietate exercenda, de motivis ad pietatem ducentibus.

Praeludium 2: collocabo meipsum inter

apostolos, et aspiciam Jesum, et audiam Eum dicentem: *vos estis sal terrae* (*Mt. 5, 13*).

PRAELUDIUM 3: rogabo Virginem prudentissimam, ut ab ea discam in recollectione spiritus semper servare et meditari in corde meo verba Jesu et ita fovere pietatem.

TESSERA: *vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua vivifica me (ps. 118, v. 59).*

I. De bona doctrina servanda (v. 6 et 7).

1. Duae condiciones sunt, ut quis sit *bonus minister Christi Jesu*: *a*: ut tradat acceptam doctrinam, devitans quaestiones tum inutiles, tum periculosas; *b*: ut nutriat se assidue doctrina Jesu Christi.

2. Evolvam similitudinem cibi. »Quemadmodum enim hunc cibum quotidie sumimus, sic, inquit, sermones de fide semper assumamus, semper his nutriamur. Quid sibi vult illud *enutritus?* Ruminans, frequenter eadem versans, semper ea ipsa meditans: non vulgare enim alimentum habent". (S. J. Chrys. in h.l.)

3. Examinabo me: an plus indulgeo ephemeridibus legendis quam sublimi doctrinae Jesu meditandae? an rumores mundi praefero sacris libris? an bene praeparo conversationes meas, ut data occasione aliquid misceam quod eos, qui me audiunt, ad Deum elevat? O! si plenus essem Jesu et Maria! »Dulcissime Jesu!

Te nihil dulcius diligitur, nihil jucundius stringitur, nihil suavius possidetur! O! reple cor meum, ut jucundetur in Te!" (S. Laur. Just.) »O multum amabilis Maria! numquam memoriam ingrederis sine dulcedine tibi divinitus insita!" (S. Bern.)

II. De pietate exercenda (v. 7b).

1. *a.* Pietas est »Dei cultus et sincerus erga Eum affectus, ac studium internae devotionis, excitans ad spem, timorem et amorem Dei" (Corn. a Lap.).

b. Exerce teipsum, nam pietas magis exercitatione assidua, quam multa speculatione addiscitur.

2. Considerabo: pietatem hoc loco considerari ut virtutem religionis. Si autem actus ejus elicio ex speciali Spiritus Sancti motione, colens Deum ut Patrem, erga proximos me gerens ut erga filios Patris mei caelestis, habeo donum pietatis.

3. Rogabo enixe hoc donum.

III. Incitamenta ad pietatem ducentia (v. 8—11).

1. *a.* Praestat corporali exercitatione, quae directe tantum corpori mortali utilis est, dum exercitatio pietatis directe èt vitam temporalem elevat ét thesaurizat pro coelo.

b. Ratio altera est ipsa affirmatio (v. 9), qua S. Paulus auget vim suae propositionis. Quinquies adhibet hanc locutionem: 1, 15 de mysterio salutis; 3, 1 de dignitate Ordinis et Jurisdictionis; II Tim. 2, 11 de futura resurrectione; Tit. 3, 8 de beneficio gratuitae justificationis. Eruam exinde, quanti momenti sit propositio hujus loci: de excellentia pietatis propter promissionem.

c. Tertia ratio est, quod »tam constanter tot labores sustinemus et sustinent omnes sancti, ut in pietate permaneant" (Corn. a Lap.).

d. Quartum incitamentum est, quod ipse debeo alios docere, iisque inculcare pietatem.

2. Perpendam vim horum argumentorum, quibus addam hoc S. Greg. M. (ep. 2 ad Depot.) »Clericus, qui ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino". Quibus verbis pulcherrime effectus pietatis in clerico enuntiatur.

3. Quae sunt mea quotidiana pietatis exercitia? Quomodo ea peragam?

COLLOQUIUM: cum Maria, cum Jesu, cum Spiritu Sancto.

Meditatio 30.

I Tim. 4, 12—16.

I. De bono exemplo,

12 Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.

II. de concione,

13 Dum venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinae.

III. de usu gratiae,

14 Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.

IV. de instantia qua S. Paulus haec commendat.

15 Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 16 Attende tibi, et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

Praeludium 1: cras meditabor de bono exemplo, quod dare debeo; de concione dominica; de cooperatione cum gratia sacramentali; de instantia qua S. Paulus haec commendat.

Praeludium 2: sistam me iterum in monte prope Capharnaum inter Apostolos quibus Magister bonus dicit: *vos estis lux mundi* (*Mt. 5, 14*).

Praeludium 3: O Maria adjuva me, ut

neminem scandalizem, ut bene doceam, ut gratiae status coöperer.

TESSERA: *qui timent Te, videbunt me, et laetabuntur: quia in verbo tuo supersperavi* (*ps. 118, 79*).

I. De bono exemplo (v. 12).

1. In memoriam revocabo: *a. Sap. 4, 8: senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, 9 et aetas senectutis vita immaculata.*

b. Os. 5, 9: et erit sicut populus, sic sacerdos.

2. Considerabo quoad *a.* mihi Ordinem non sufficere ut habeam auctoritatem et honorem, nisi addam maturitatem convenientem statui meo. Quoad *b.* in quinque praecipue punctis me exemplo esse debere: in verbo publico et privato — in modo agendi — in caritate perfecta, non mixta affectibus carnalibus — in fide fervida — in puritate omnimoda. Verba movent, exempla trahunt. Ad excitandum meipsum considerabo verba Pii X (exh. ad cler. 4 Aug. 1908): »Etenim non ejusmodi est sacerdos, qui bonus malusve uni sibi esse queat; sed ejus ratio et habitus vitae sane quantum habet consequentis effectus in populum. Sacerdos reapse bonus ubi est, quale ibi donum et quantum est!"

3. Quantum mihi adhuc deest, ut sim bonus

clericus! Humiliabo me: *miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam (ps. 50, 1)*, O quam felix si quăero auxilium a Deo: *ps. 122, 1: ad Te levavi oculos meos, qui habitas in caelis. 2 Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. 3 Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione; 4 quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.*

II. De concione (v. 13).

1. In memoriam revoco: *a.* id quod S. Paulus in hoc versu dicit: diligenter trade lectiones S. Scripturae, easque sequentes exhortationes et instructiones, quae in sacris conventibus fieri debent; *b.* verba Leonis XIII (litt. enc. de stud. S. Script. 18 Nov. 1893): »haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spritus Sancti profecta, ea est, quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque praebet eloquentiam". *c.* verba Pii X (exh. ad cler. cath. 4 Aug. 1908): »Cum divinarum rerum quotidiana consideratione magni refert ut sacerdos piorum librorum lectionem, eorum in primis qui divinitus inspirati sunt, conjungat assiduus".

2. Considerabo quanti momenti sit munus praedicandi, maxime quod praedicatio Evangelii sit medium ab ipso Christo electum ad suam religionem propagandam, confirmandam, defendendam. Est quasi sacramentale quid, cui per se peculiaris gratia Spiritus Sancti adnectitur. Dein considerabo: in Confessionali patere quomodo concionetur in paroecia; — confraternitates et sodalitates numquam locum tenere posse bonarum concionum; — periculum negligendi hoc munus eo majus esse, quo magis parochi et vicarii distenti sint variis occupationibus, quae pertinent ad socialem actionem.

3. Grato animo laudabo Jesum Christum, quod me elegit ad statum, in quo mihi applicare possum, quod de Seipso dictum esse testatus est: *Spiritus Domini super Me, eo quod unxerit Dominus Me: ad annuntiandum mansuetis misit Me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem (Is. 61, 1)* etc.

III. De usu gratiae status (v. 14).

1. Revocabo in memoriam, quomodo die ordinationis meae Episcopus imposuerit utramque manum super caput meum, et quomodo hoc idem fecerint sub alto silentio plures Sacerdotes alii, qui dein sic invitati sunt ab Episcopo: »Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos

suos, quos ad Presbyterii munus elegit, coelestia dona multiplicet et, quod Ejus dignatione suscipiunt, Ipsius consequantur auxilio".

2. Examinabo me circa usum gratiae, vi sacramenti hujus acceptae.

3. Eliciam actum contritionis et bonum propositum faciam, ut per examen particulare vincam praecipuum impedimentum.

IV. Instantia S. Pauli (v. 15 et 16).

1. Instat: *a.* repetendo variis modis S. Timotheum debere èt suam ipsius sanctitatem èt sanam doctrinam procurare; *b.* indicando duplicem fructum: »profectus tuus manifestatus erit omnibus", et »teipsum cum auditoribus tuis salvum facies".

2. Considerabo, quomodo ego possim esse Salvator!

3. O bone Jesu, *qui timent Te*, *videbunt me*, cum gratia tua cooperantem, *et laetabuntur*, èt angeli ét Sancti èt fideles; imo, bone Jesu, qui non timent Te, infideles, videbunt me, et in me, non me, sed Te incipiant cognoscere, amare, sequi!

Colloquium: Mariam et Angelum Custodem invocabo, ut juvent me in omnibus esse bonum clericum.

Meditatio 31.

1 Tim. 5, 1—16.

I. De agendi modo cum personis variae aetatis,

1 Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes, ut fratres; 2 anus ut matres; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.

II. quaenam viduae sustentandae sunt?

3 Viduas honora, quae vere viduae sunt. 4 Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. 5 Quae autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die. 6 Nam quae in deliciis est, vivens mortua est. 7 Et hoc praecipe, ut irreprehensibiles sint. 8 Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

III. quaenam mulieres in diaconissas eligendae sunt?

9 Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, 10 in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. 11 Adolescentiores autem viduas devita. Cum

enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt: [12] habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; [13] simul autem et otiosae discunt circuire domos: non solum otiosae, sed et verbosae, et curiosae, loquentes quae non oportet. [14] Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. [15] Jam enim quaedam conversae sunt retro Satanam. [16] Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur ecclesia: ut iis quae vere viduae sunt, sufficiat.

PRAELUDIUM 1: in secunda parte epistolae (4, 6—6, 19) secundo loco (5, 1—6, 2) docet, quomodo efficiatur ut èt aliorum èt ipsius Episcopi b o n i sint m o r e s; et in hac meditatione primum punctum erit de agendi modo cum personis variae aetatis, secundum de sustentatione viduarum, tertium de electione mulierum in diaconissas.

PRAELUDIUM 2: videbo Joannem Baptistam, vestitum pilis cameli et zona pellicea circa lumbos ejus; videbo, quomodo permulti, inter quos èt publicani èt milites, ad poenitentiam adducti magni illius Prophetae verbo et vitae ratione, veniant ad eum dicentes: *quid ergo faciemus?* (*Luc. 3, 10*) Audiam, quomodo singulis ea commendet quae iis maxime conveniant, pauca sed substantialia, semper minus exigens ab aliis quam a seipso.

PRAELUDIUM 3: petam a Matre boni consilii, ut mihi impetrat donum consilii, i. e. lumen, quo adjutus disponar, ut in operationibus meis directionem et inspirationes Spiritus Sancti prompte sequar, in gubernandis tum aliis, tum meipso.

TESSERA: »Mater boni consilii, ora pro nobis."

I. De agendi modo cum personis variae aetatis (v. 1 et 2).

1. Singula verba horum versuum in memoriam revocabo.

2. Consideranda sunt: *a.* etiam senes increpandos esse aliquando, nimirum si mala exempla retrahere nolunt, et id quidem ad exemplum Danielis (Dan. 13, 51), senes insidiantes Susannae accusantis et judicantis, et ad exemplum ipsius Christi Domini (Mt. 23, 13) septuplum vae intentantis Pharisaeis. *b.* cur in v. 2 addatur *in omni castitate*: »quia, ut ait S. Thom. in h. l., amor spiritualis ad mulieres, nisi cautus sit, degenerat in carnalem".

3. Excitabo me ad desiderium doni consilii, tam utilis, tam necessarii bono clerico.

II. De sustentatione viduarum (v. 3—8).

1. v. 3: principium ponitur; v. 4: non sustententur eae, quae a filiis vel nepotibus sustentari possunt; hi videlicet *discant* (gr.) *mutuam vicem reddere parentibus;* v. 5: susten-

tetur autem ea quae tale auxilium non habet, et propterea *in* solum *Deum sperat* (gr.) *et instat* (gr.) *obsecrationibus*; v. 6: neque sustententur eae quae delicate et luxuriose vivunt; v. 7: doceat eas Timotheus discrimen inter pias et impias viduas; v. 8: sciant etiam filii et nepotes, se graviter peccare, si parentes non honorant.

2. Considerabo ad v. 4: acceptum esse coram Deo, officiis etiam temporalibus, quae profluunt ex statu vitae, bene fungi; ad v. 5: quam magnam fiduciam habere possunt in Deum ii, quorum vita est, fide et intentione, continua oratio; ad v. 6: »vita carnis tuae, anima est; vita animae tuae Deus est. Quo modo moritur caro amissa anima, quae vita est ejus: sic moritur anima amisso Deo, qui vita est ejus" (S. Ang. tr. 47 in Jo.); ad v. 7: sicut viduae irreprehensibiles esse debent, ut ostendant »se idcirco nuptias secundas contempsisse, ut instarent disciplinae dominicae" (Ambrosiaster), ita ego exemplo meo ostendere debeo me reliquisse mundum, ut vivam Deo. v. 8: *a.* caritatem fraternam esse signum proprium et singulare religionis christianae; *b.* factis etiam fidem negari posse.

3. O Sancte Paule Apostole, doctor gentium, et Ecclesiarum gubernator, cujus consilia et praecepta, etiam minima, fundantur in magnis principiis fidei nostrae, impetra mihi donum consilii! . . . .

III. Quae mulieres eligendae sint in diaconissas (v. 9—16).

1. Eae eligantur, de quibus sperari potest fore ut castae maneant (v. 9) et sedulas in operibus charitatis (v. 10).

2. Considerabo: *a.* easdem a me exigi qualitates; *b.* v. 11—13 et 15 aspiciam ut descriptionem viae, qua èt clericus tepidus paullatim procedere, et dein praeceps ruere potest ad perditionem: primo parvae infidelitates circa votum castitatis, dein otiositas, verbositas, *circuire domos* eorum quos spirituali amore incepit sed pergit carnali amare — et ipse luxuriatus a Christo vel adversus Christum.

3. Examinabo me, gratias agam, veniam petam, meliora proponam.

Colloquium: o bone Jesu, qui ductus es a Spiritu Sancto in desertum, qui semper fecisti quae placita sunt Deo, et de quo scriptum est: *bene omnia fecit* (Mr. 7, 37), adjuva me ad majorem gloriam Patris tui, ut, ductu Spiritus Sancti, quem Tu misisti Doctorem et Consolatorem, èt meipsum èt alios recta via ducam ad caelum!

Meditatio 32.

1 Tim. 5, 17—6, 2.

I. Boni ministri sunt large sustentandi,

17 Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina. 18 Dicit enim scriptura (Deut. 25, 4; 1 Cor. 9, 9): non alligabis os bovi trituranti. Et (Mt. 10, 10; Luc. 10, 7): dignus est operarius mercede sua.

II. agendi ratio adversus sacerdotes criminis reos,

19 Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 20 Peccantes coram omnibus argue: ut et ceteri timorem habeant. 21 Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis, ut haec custodias sine praejudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 22 Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. 23 Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. 24 Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, praecedentia ad judicium: quosdam autem et subsequuntur. 25 Similiter et facta bona manifesta sunt: et quae aliter se habent, abscondi non possunt.

III. de obsequio servorum.

1 Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. 2 Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Haec doce, et exhortare.

PRAELUDIUM 1: ut èt aliorum èt sui ipsius boni sint mores, sciat Timotheus: bonos ministros large sustentandos esse; quomodo se gerere debeat adversus sacerdotes, criminis reos; quid servos docere debeat.

PRAELUDIUM 2: videbo *signum Filii hominis in coelo* (Mt. 24, 30) et ipsum *Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei* (*Mt. 26, 64*), *ut referat* (*ante tribunal Christi*) *unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (*2 Cor. 5, 10*).

PRAELUDIUM 3: ut sim bonus judex, per intercessionem amantissimae Matris meae petam id, quod tam fervide et saepe cum lacrimis petebat B. Petrus Canisius:

TESSERA: »Da nobis, Domine, sapientiam et caritatem, ut ad majorem tuam gloriam omnia dirigamus".

I. Boni ministri large sustentandi sunt (v. 17 et 18).

1. In memoriam revocabo verba S. Pauli. Quis? quid? quare?

2. Considerabo *a.* quales debeant esse sacerdotes, ut magis sustententur quam alii sacerdotes: *qui bene praesunt,* et *qui laborant* catechizando et contionando.

b. Adverte, inquit S. Athanasius, quemadmodum undique cogatur insudare qui docet. Nam, ut frumenta dissolvere et in grana deinceps comminuere, non mediocris est labor, sic et qui alios instruit, necesse est ad angoris et laborum se tolerantiam praeparet.

c. quid dicat S. Greg. Magn. (Hom. 17 super Ev.): »pensate quantae damnationis sit, sine labore percipere mercedem laboris, et quanti criminis, peccatorum pretium manducare, et nihil contra peccata praedicando agere".

3. Domine Jesu Christe, magis quam quidquid terreni, Te desidero! Vivat Cor Jesu in cordibus omnium! Adjuro Te, quem mox in manibus meis, in corde meo habébo, adjuro Te, ut inflammes me! Eleva me supra terrena omnia, ut numquam illis fruar, sed tantum utar, ut ament Te omnes!

II. Quid faciendum adversus malos ministros (v. 19—25).

1. Secundum Deut. 19, 15 (2 Cor. 13, 1; Mt. 18, 16): *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum;* insuper fiat judicium coram omnibus aliis presbyteris, sed sine praejudicio, acceptione personarum, studio partium.

— Ut autem antevertat causas criminum, inter sacerdotes, prudens sit in admittendo quemquam ad sacrum ordinem. — Ut haec omnia cum successu faciat, ipse sit irreprehensibilis. Ita tamen ut curam sanitatis non neglegat: ad quem finem ei per modum medicinae usus modici vini commendatur. — Dein recogitet, difficile munus judicandi saepe facilitari eo quod èt bona èt mala partim jam ante inquisitionem vulgo manifesta sunt, *praecedentia ad judicium*, cetera ipsa inquisitione manifestantur (*subsequuntur, ... abscondi non possunt*).

2. Considerabo: *a.* Utinam omnes hodie clerici monitione Apostoli indigerent, ut propter sanitatem abstinentiam a vino interrumperent, — et nemini in mentem revocandum esset illud *Eccli 37, 34: propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam. b.* S. Laur. Just. (de trimph. c. 12): »debet prius dominari sibi, qui causae constitutus est judex alienae. Ridiculum est aspicere foris in Cathedra residentem, et intus in passionum foetoribus sepultum".

3. Adibo Jesum Salvatorem meum, audiam Eum dicentem: *indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo* (*Mich. 5, 8*) .... *Dirige me in veritate tua et doce me, quia Tu es Deus Salvator meus, et Te sustinui tota die* (*ps. 24, 5*).

III. Quid servos docere debeat (6, 1 et 2).

1. Recolam: *a* cur servi paganorum, *b*. cur servi Christianorum dominorum bene servire debeant. Cf. Eph. 6, 5—8.

2. Considerabo, quantopere ego, clericus, curam habere debeam etiam operariorum et eorum qui in statu servili sunt, ut considerem eos tamquam imagines vivas Domini mei Jesu Jesu Christi, qui *formam servi accipiens* (*Philipp. 2, 7*), *non venit ministrari sed ministrare* (*Mt. 20, 28*), *factus obediens* (*Philipp. 2, 8*) . . . .

3. Ipse mihi persuadebo, me non esse nisi servum. *1 Reg. 3, 9: loquere, Domine, quia audit servus tuus. Ps. 115, 16: o Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae. Luc. 17, 10: cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.*

Colloquium: cum Jesu in Eucharistia, juxta verba tesserae: »da", nam si Tu non dono des, a quo accipiam quae mihi desunt? . . . , »nobis", non solum mihi, sed et omnibus fratribus meis in statu clericali; . . . . »Domine", »Tu qui cuncta scis et vales"; . . . . »sapientiam", qua Te ut primam causam considerans, secundum Te omnia judicem; . . . . »et caritatem", qua flagrat Cor tuum, etc.

Meditatio 33.

I Tim. 6, 3—10.

I. Defectus sanctitatis in falsis doctoribus,

3 Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quae secundum pietatem est doctrinae: 4 superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones, et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, 5 conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quaestum esse pietatem.

II. sufficientia imprimis necessaria est,

6 Est autem quaestus magnus, pietas cum sufficientia. 7 (Job 1, 21; Eccli. 5, 14). Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. 8 (Prov. 27, 26) Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus.

III. qua virtute evitabimus magna incommoda.

9 Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. 10 Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.

PRAELUDIUM 1: S. Paulus a v. 3 ad v. 19 excitat S. Timotheum ad omnimodam sanctitatem. In hac meditatione considerabo primo defectum sanctitatis in falsis doctoribus; secundo sufficientiam imprimis mihi necessariam esse; tertio hac virtute evitari magna incommoda.

PRAELUDIUM 2: sistam me in stabulo prope Bethlehem, ante Jesum, recens natum, et dicam: »Te, Domine Jesu, Te desiderat cor meum; Te anima mea quaerit, quem diligit. Indica mihi, quaeso, ubi cubes, ubi habites. Vox Jesu: veni, fili, et vide. Hoc tibi signum: invenies Me parvulum in stabulo, pannis involutum, positum in praesepio. Adesto et attende, quid Cor meum tibi loquatur. Vulpes quidem habent foveas, volucres coeli habent nidos: Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput. Verumtamen, fili, mea est omnis terra et plenitudo ejus. Ego autem cum ditissimus essem, factus sum omnium pauperrimus." (Imit. S. C. J. l. 2, c. 6).

PRAELUDIUM 3: »Bone Jesu! Magister veritatis, et exemplar sanctae paupertatis! illumina mentem meam, ut hujus virtutis pretium intelligam, et avelle cor meum etiam invitum ab omni inordinato rerum creatarum affectu, ne variis desideriis ac sollicitudinibus distentum, a Te alienetur". (ibid.)

TESSERA: »Ad nihil afficiar nisi ad Te, pauper sim propter Te". (S. Aug.)

I. Defectus sanctitatis in falsis doctoribus (v. 3—5).

1. Debeo acquiescere doctrinae Jesu Christi, quae necessarium fundamentum est veri cultus Dei. Qui secus faciunt, sunt superbi, inscii, constricti in cavillationibus, e quibus oriuntur quinque pessimi effectus.

2.. Considerare possum: *a.* quam gratus esse debeam pro gratia fidei; *b.* haereticos raro disputando sed magis orando converti (Corn. a Lap.); *c.* Sanctum Gregorium Naz. Catholicis tria commendare in disputationibus observanda: silentium, ordinem, humilitatem; *d.* Sanctum Ambrosium scripsisse: »nihil tam asperum, tamque perniciosum est, quam si Ecclesiasticus (maxime qui in sublimi loco est) divitiis hujus saeculi studet, quia non solum sibi ipsi, sed et ceteris obest".

3. Examinabo me, num inordinate afficiar erga proprium judicium, erga pinguiora officia. *Ps. 14, 1: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? 2. Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam: 3. qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos. 4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat: qui jurat*

proximo suo, et non decipit: 5. qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accipit: qui facit haec, non movebitur in aeternum.

II. Sufficientia imprimis necessaria est (v. 6—8).

1. v. 6: Magnum bonum est vera pietas, eo quod comitem habet sufficientiam. v. 7: Etenim sola bona quaerit aeterna, ideoque neglegit temporalia, quae in morte asportare non possumus; vel saltem (v. 8) contenta est iis quae ad vitam honestam necessaria sunt. Et sic *pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est*, per sufficientiam illam, *et futurae* (4, 8).

2. Plures veritates fundamentales hoc loco sunt recolendae: brevitas vitae, vilitas opum, finis mors, providentia divina: *Ps. 33, 11: divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Philipp. 4, 11: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Mt. 6, 33: Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus: et haec omnia adjicientur vobis. 3. Prov. 30, 7: Duo rogavi Te, ne deneges mihi antequam moriar. 8 Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me. Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria:*

9. ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.

III. Virtute sufficientiae evitabuntur magna pericula (v. 9 et 10).

1. Pericula, in quibus ii sunt, qui divites fieri volunt: incidunt in tentationes omnis generis (v. 9); cupiditas est radix malorum tum moralium, tum physicorum.

2. Cum Sancto Ignatio (in contempl. de 2 vex.) considerabo »contionem quam (Lucifer) ad eos (daemones) habet et quomodo eos admonet ad injicienda hominibus retia et catenas: ut primo tentare eos debeant cupiditate divitiarum, prout solet ipse facere ut in pluribus; quo facilius perveniant ad vanum honorem mundi; et inde ad magnam superbiam"; et *initium omnis peccati est superbia* (*Eccli. 10, 15*).

3. Domine Jesu Christe, nolo hoc vel illud ad quod inclinor inordinate, nisi divina tua Majestas in ordinem redigens mea desideria, primum meum affectum Tibi mutaverit ita, ut causa desiderandi vel tenendi unum vel alterum, sit solum obsequium, honor et gloria tuae divinae Majestatis (Ex. Sp. ann. 16).

COLLOQUIUM: cum Jesu in praesepio et cum astantibus Maria et Joseph, ut impetrem id, quod sincere volo.

Meditatio 34.

I Tim. 6, 11—15a.

I. Sanctitas clericalis,

11 Tu autem, o homo Dei, haec fuge: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. 12 Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus.

II. Incitamenta.

13 Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem: 14 ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi: 15 quem suis temporibus ostendet....

PRAELUDIUM 1: considerabo primo quae requirantur ad omnimodam sanctitatem clericalem; secundo quae motiva habeam ad eam strenue sectandam.

PRAELUDIUM 2: videbo et audiam Angelum meum Custodem dicentem: *qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio cito et merces mea mecum est* (*Apoc. 22, 11 et 12*).

PRAELUDIUM 3: rogabo magnum desiderium sanctitatis tum activae, tum passivae.

TESSERA: *fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar* (*ps. 118, 18*).

I. Sanctitas clericalis (v. 11 et 12).

1. Complectitur: *a.* fugam cupiditatis divitiarum; *b.* virtutes passivas, imprimis: fidem, pietatem, patientiam; *c.* virtutes activas, imprimis: justitiam, caritatem, mansuetudinem; *d.* functiones clericales, quae omnes tendunt ad hoc ut fides doceatur, servetur, foveatur; quod non fit nisi strenue pugnando contra diabolum, mundum et concupiscentiam.

2. Quid circa haec est considerandum? *a.* me debere ad hanc sanctitatem acquirendam omnes curas conferre, nam sic tantum apprehendam vitam aeternam, ad quam vocatus sum et propter quam praeclaram fidei professionem edidi coram multis testibus, tum in Baptismo, tum in die primae Communionis, tum praesertim in die Ordinationis. *b.* »Unum nimirum est quod hominem cum Deo conjungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum ejus misericordiae administrum: vitae morumque sanctimonia. Haec, quae demum est supereminens Jesu Christi scientia, sacerdoti si desit, desunt ei omnia" (Pius X exh. ad cler. 4 Aug. 1908).

3. Examinabo me, quantum distem ab hac sanctitate. Ad humiliandum me et ad excitandum me comparabo sanctitatem meam cum sanctitate Dei, qui est portio mea et hereditas mea, qui sanctus dicitur primo ut causa et fons omnis sanctitatis viae et patriae, secundo ut objectum et mensura omnis sanctitatis, tertio ut formaliter infinite seipsum cognoscens et amans, quarto ut quidquid ad rationem sanctitatis pertinet, ipse a se ipso habens (Lessius).

II. Incitamenta (v. 13—15a).

1. Excitant singula verba: *homo Dei* (*v. 11*): hoc nomen tribuitur in Scriptura tum prophetis quos Spiritus Dei regebat, tum praelatis a Deo constitutis ut suo nomine populum regerent. — *praecipio* (*v. 13*): saepius in hac epistola jussit Timotheum aliis praecipere, sed nunc ipse praecipit Timotheo. — *coram Deo*: adjuratione imperativa utitur, impletis conditionibus veritatis, justitiae et judicii. — *qui vivificat omnia*: Deus est fons omnis vitae, proin etiam vitae aeternae ad quam vocatus est Timotheus (v. 12). — *et coram Jesu Christo*: quid non faciet bonus clericus, si testis praecepti advocatur ipse Dominus ejus! Qui per mortem suam, in Evangeliis relatam, egregiam suae doctrinae *confessionem* fecit. Adspiciam meum Crucifixum .... — Incitamentum insuper est id

ipsum quod praecipitur: *sine macula — irreprehensibile* — servare — *mandatum, servare omnia quaecumque mandavi vobis* (*Mt. 28, 20*). Si hoc facio, non timebo, sed laete exspectabo *adventum Domini nostri Jesu Christi*, qui *suis*, id est, apud Deum tantum notis *temporibus*, veniet.

2. Perpendam has rationes, adjiciens si utile videbitur: *a. estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* (*Mt. 5, 48*), *b.* »etenim cujuslibet eorum qui sacrum ordinem sortiti sunt, in hoc sita perfectio est, ut ad divinam, pro captu quisque suo, promoveatur imitationem; quodque divinius est omnium, ipsius etiam Dei, ut Eloquia loquuntur, cooperator existat" (Dion. Areop. De coelest. hierarch. c. 3, § 2).

3. Videbo, quid imprimis hodie faciendum vel omittendum, ut vespere dicere possim, me hoc die saltem, progressum fecisse in sanctitate.

COLLOQUIUM: provolvar ante S.S. Trinitatem et lente et fervide orabo: »Tibi gloria, Tibi benedictio et gratiarum actio ab omni creatura in coelo et in terra, o sanctitatis auctor! .... Tu nobis (Ecclesiam) Sanctum sanctorum dedisti, et in ipso (Jesum Christum) fontem nobis perennem sanctificationis constituisti .... Hunc Tu per Teipsum, tuam sanctitatem Illi impertiendo, sanctificasti, et per hunc ceteros. Ab hoc sanctitas omnis manat in symbola ex-

terna seu Sacramenta; a symbolis per corpus transfunditur in animam; ab anima redundat in corpus, et in opera interna; ab operibus internis ad externa: ut sic totus homo, totaque vita ipsius sancta, Tibi devota et consecrata sit, et ad Te summum bonum et ultimum finem, unde processit, reducatur, et in Te quiescat. Sic creaturam tuam ad Te revocas, sic consortio tuo dignam facis. Fac ut ex hoc fonte assidue hauriam, assidue laver, ut dealbem stolam meam in Sanguine Agni. *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Asperges me hyssopo* in fonte isto intincto in sanguine mystici passerculi, *et mundabor;* inde me lava, *et super nivem dealbabor* (ps. 50, 4 et 9)". (Lessius, l. 8 de Perf. c. 4).

Meditatio 35.

1 Tim. 6, 15b—16.

15b Beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium: 16 qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor, et imperium sempiternum. Amen.

Praeludium 1: meditabor de quibusdam Dei attributis.

Praeludium 2: conabor videre visionem Danielis 7, 9 et 10: *aspiciebam donec throni positi sunt* (inter coelum et terram), *et Antiquus dierum* (*qui solus habet immortalitatem*, *1 Tim. 6, 16*) *sedit: vestimentum Ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda: thronus Ejus flammae ignis: rotae Ejus ignis accensus* (quia *lucem inhabitat inaccessibilem*). *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie Ejus; milia milium ministrabant Ei, et decies milies centena milia assistebant Ei* (qui est *Rex regum et Dominus dominantium*.

Praeludium 3: rogabo majorem cognitionem Dei, ut melius Ei serviam.

Tessera: Deus meus et omnia!

Quaedam Dei attributa.

a. beatus: α. beatitudo Ejus consistit in clara visione Sui, in Sui amore et fruitione. — Sic mea summa beatitudo consistet in visione Dei, summi boni. — β. Deus dicitur beatus, quia Seipsum clare vidit et amat et Seipso fruitur tamquam summo bono suo; quia per essentiam beatus est; quia Ipse est objectum suae beatitudinis; quia est auctor omnis beatitudinis in Angelis et in hominibus. — Quare ego jam beatus sum in hac terra, inchoative saltem? Quia pauper spiritu, mitis, lugeo peccata, esurio et sitio justitiam, misericors sum et mundo corde, pacificus, persecutionem patior propter justitiam, inimicis Dei persequentibus me propter Deum (Mt. 5, 3—10); hinc enim gaudeo spe aeternae beatitudinis. Quare *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (*2 Cor. 7, 4*). γ. Gratias ago Tibi, Jesu Christe, Dominus meus et Deus meus, quod consolatione tua, Eucharistia tua, inspirationibus tuis, me tam saepe beatificas. Fac ut magis ac magis Tibi adhaeream. Gratias Tibi, Domine Sancte, Pater, pro beata amicitia mea cum Jesu et Maria, gratias pro vocatione mea ad statum clericalem, fontem pacis et gaudii spiritualis, quia tam arcte jungit me Deo *qui laetificat juventutem meam* (*ps. 42, 4*). δ. estne adhuc aliquid praeter Deum, cui inhaereo, quasi possit me vere beatum reddere? ...

b. solus potens: α. solus, quia potentiam habet essentialiter. Est omnipotens, quia est causa omnis potentiae; quia formaliter est ipsa potentia; quia omnia potest solo nutu aeternae voluntatis; quia est omnitenens. *β.* »Vide Omnipotentiam, quae revelatur in venerando Eucharistiae mysterio, in quo uno plura et majora facit miracula, quam in toto mundo reliquo: in quo haec miranda prodigia iterare non cessat" (Imit. S. Cordis l. 4. c. 15. n° 4). *γ.* Potens sum ego, quia multa dedit mihi Deus posse. Quomodo utor potentiis et facultatibus meis? . . . Num ita potens sum fide, ut verificantur in me verba Christi: *amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis* (*Mt. 17, 19*)*?* — Felix ego, si de me testari potest Spiritus Sanctus: *potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit* (*Eccli. 31, 11*)*! δ.* O Mater boni consilii, impetra mihi »spiritum consilii, qui me meae infirmitatis, qua nihil salutare efficere valeo, usque admoneat, meque efficaciter inducat ad recurrendum ad divinae Omnipotentiae auxilium, quo adjuvante omnia possum." (Imit. S. Cordis l. 4, c. 15 n°. 9).

c. Rex regum et Dominus dominantium: α. Deus est Dominus omnium existentium, quia omnia essentialiter Ipsius sunt, tamquam causae primae, et causae tum finalis, tum

exemplaris, tum efficientis; est Dominus omnium etiam possibilium, unde *vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt* (*Rom. 4, 17*); est Dominus, quia omne jus proprietatis et jurisdictionis in Angelis et hominibus ab Ipso derivatur; est Rex regum et Dominus dominantium, quia, ut maxime patebit in die ultimi judicii, potentissimi domini et reges terrae Ei subjecti sunt ut mancipia. *β*. Recolam: *Dominus Deus vester, Ipse est Deus deorum et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera* (*Deut. 10, 17*); *confitemini Domino dominorum, quoniam in aeternum misericordia Ejus* (*ps. 135, 3*); *γ*. Recolam cum gaudio, quo sensu Jesus, Dominus meus et Rex meus, dicatur habere *in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium* (*Apoc. 19, 15*); *hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum; et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles* (*Apoc. 17, 14*). *δ*. In memoriam revocabo quomodo »ii, qui magis affici, majori affectu esse volunt erga Christum Regem et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis aeterni ac Domini universalis, non solum offerent se totos ad laborem, sed etiam agendo contra suam propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum, oblationes facient majoris aestimationis, et majoris momenti, dicentes: O

aeterne Domine rerum omnium, ego facio meam oblationem cum tuo favore et auxilio, coram infinita Bonitate tua, et in conspectu gloriosae Matris tuae, et omnium Sanctorum et Sanctarum Curiae coelestis, attestans quod ego volo et desidero, et mea haec est determinatio deliberata, dummodo sit majus servitium tuum, et major laus tua, imitari Te in ferendis omnibus injuriis, et omni vituperio, et omni paupertate, tam actuali quam spirituali, si Majestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum" (Ex. Sp. S. Ign. 2ª hebd.).

d. Qui solus habet immortalitatem: α. »quia cum Deus sit ens primum, summum, et fundamentum omnium, non potest ullo modo esse dependens ab aliquo alio: ac proinde non potest desinere esse, aut amittere vitam per subtractionem influxus, seu dependentiae ab aliqua causa. Itaque natura sua est omni modo immortalis" (Lessius). *β.* Immortalitatem, quam ex essentia sua Deus *solus* habet, pro modulo tamen nostro et nobis hominibus communicavit. Ego quoque accepi a Deo a n i m a m immortalem, quae sine fine vivet aut in inferno, aut in coelo. Si volo, in coelo: *scire justitiam, et virtutem tuam, radix est immortalitatis* (*Sap. 15, 3*) beatae, nam per scientiam veri Dei ducimur ad observandam legem quae praemiatur vitam aeterne beatam. Unde de justis dicitur (*Sap. 3, 4*): *spes illorum immortalitate*

plena est. En pignus immortalitatis: *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (*Jo.* 6, 59). *γ.* In memoriam revocabo, etiam corpus meum destinatum esse ad immortalitatem: *oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: et mortale hoc induere immortalitatem* (1 Cor. 15, 53). En iterum pignus: *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et Ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Jo.* 6, 55). *δ.* Elevabo mentem in caelum: »O supernae civitatis mansio beatissima! O dies aeternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat; dies semper laeta, semper secura, et numquam statum mutans in contraria" (Imit. 3, 48, n°. 1)! — »Quam sordet mihi tellus, cum coelum adspiciam!" (S. Ign.)

e. Et lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum videt, sed nec videre potest: *α.* »Dicitur lucem habitare inaccessibilem, quia cognitione, amore, et fruitione habitat in Se ipso, qui est lux inacessibilis; cum nulla creatura viribus naturae possit illam, vel sola cognitione attingere" (Lessius). *β.* Invisibilis est, quia nullis oculis corporeis videri potest; quia a nullo intellectu creato vi luminis naturalis clare ut est in Se ipso videri potest; quia, etsi a mente creata per lumen gloriae aliquo modo clare videri possit, non tamen visione comprehensiva, qua nihil lateat videntem. *γ.* En suspiria quaerentis Deum: »Eja, nunc ergo,

Domine Deus meus, doce cor meum ubi et quomodo Te quaerat, ubi et quomodo Te inveniat. Domine, si hic non es, ubi Te quaeram absentem? Si autem ubique es, cur non Te video praesentem? Sed certe habitas lucem inaccessibilem. Et ubi est lux inaccessibilis? aut quis me ducet in illam, ut videam Te in illa? Denique, quibus signis, qua facie Te quaeram? Numquam Te vidi, Domine Deus meus, non novi faciem tuam. Quid faciet, altissime Domine, quid faciet iste tuus longinquus exsul? Quid faciet servus tuus anxius amore Tui, et longe projectus a facie tua? Anhelat videre Te; et nimis abest illi facies tua. Accedere ad Te desiderat; et inaccessibilis est habitatio tua. Invenire Te cupit, et nescit locum tuum. Quaerere Te affectat, et ignorat vultum tuum" (med. 21 inter op. S. Anselmi). Respondet Jesus: *beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt* (*Mt. 5, 8*). *d.* Gratias ago Tibi, »Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus. Quia per incarnati Verbi mysterium, nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur". (Pref. in Nat. Dni).

COLLOQUIUM: offeram meipsum Sanctissimae Trinitati, adorans et gratias agens. A me sit ei semper *honor* labiorum, *imperium* servitio meo, *Amen* subjectione perfecta intellectus et voluntatis.

Meditatio 36.

1 Tim. 6, 17—19.

I. A quibus divites cavere debeant,

II. quas virtutes exercere debeant,

III. quis fructus et finis prae oculis habendus.

17 Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum), 18 bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, 19 thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

Praeludium 1: ne videatur in superioribus (v. 9 et 10) damnasse divites et divitias, addit nunc S. Paulus, quid docere debeat divites *hujus saeculi*, id est, hujus brevis temporis, in oppositione ad divites *in Deum* (Luc. 12, 21), ut salvi fiant bono usu divitiarum.

Praeludium 2: audiam Jesum, postquam dives adolescens *abiit tristis: erat enim habens multas possessiones,* discipulis suis dicentem: *amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum* (*Mt. 19, 22 et 23*).

Praeludium 3: petam a beata Matre mea,

ut mihi impetret magnam misericordiam erga divites et gratiam, ut eos verbo et exemplo doceam viam ad regnum coelorum.

TESSERA: »cor Jesu pauperrimum, miserere mei, et imple me omni virtute et praesertim Jesu amore" (G. Druzbicki S. J. Meta Cord.).

I. A quibus cavere debeant divites (v. 17a).

1. *a.* a superbia: *non sublime sapere.* S. Aug. Serm. 39, 4: »omne pomum .... omne granum .... omne lignum habet suum vermem ...: vermis divitiarum superbia est; difficile est ut non sit superbus qui dives est; tolle superbiam, divitiae non nocebunt".

b. a fiducia in divitiis: *neque sperare in incerto* (in incertitudine) *divitiarum.* Cur non? *Prov. 11, 28: qui confidit in divitiis suis, corruet. — ps. 38, 7: thezaurizat: et ignorat cui congregabit ea. — ps. 48, 18: quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus.*

2. Considerabo, quomodo ego, in fidelium quoque exemplum debeam esse humilis et pauper spiritu. Quoad exemplum audiam S. Hier. (ep. 34 ad Nep.): »non confundant opera sermonem tuum, ne cum in ecclesia loquaris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo haec quae dicis, non facis?" — Quoad humilitatem, audiam *Prov. 11, 2: ubi fuerit superbia ibi erit et contumelia.* — Quoad paupertatem

spiritus recolam haec (S. Prosp. l. 2 de vita cont. c. 13): »divitiae nostrae sunt justitia, pietas, humilitas, mansuetudo; istae ambiendae sunt, quae nos ornare possunt simul et munire".

3. Examinabo me, veniam petam, bonum propositum faciam, et inquiram, in quibus circumstantiis hodie illud exsecuturus sim.

II. Quas virtutes exercere debeant (v. 17b et 18).

1. *a. sperare . . in Deo*; propter duas rationes: quia vivus est; semper manet, etiam post mortem meam, is *qui vivificat omnia* (*v. 13*); — quia *praestat nobis omnia abunde ad fruendum*, non ad accumulandum, ad reponendum, sed *ad percipiendum cum gratiarum actione* (*4, 3*). *b. bene agere*: non tantum bene vivere. *c. divites fieri in bonis operibus* misericordiae tum corporalibus tum spiritualibus, ad utilitatem tum Ecclesiae, tum Societatis civilis. *d. facile tribuere*: ergo virtutem exercere, quae maxime contraria est avaritiae. *e. communicare*: ergo imprimis facile tribuere pauperibus.

2. Quid circa haec est considerandum? *a.* »divitiae ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis" (S. Ambr. l. 8, in Luc. in fine). *b.* me debere haec docere exemplo, et etiam verbo tum privato tum publico, ita

ut faciant, quae dico, non ita, ut ex verbis meis fastidium et satietas oriatur.

3. Quod propositum faciendum? . . . Si non plenus sum spiritu Evangelii Jesu Christi, quomodo haec omnia facere possum? . . . Petam auxilia; vivam rebus divinis intentus.

III. Quis fructus et finis prae oculis habendus (v. 19).

1. Fructus: divites, qui sic benefaciunt aliis, sibi reponunt thesauros meritorum, in vitam aeternam. — Finis beneficientiae: *ut apprehendant veram vitam*, i. e. aeternam, cum qua comparata haec mortalis vita non est nisi umbra, neque vero sensu vita dici potest.

2. Cum fundamento bene comparatur omnis eleemosyna, at praesertim ea quae fit *in abscondito* (Mt. 6, 4), i. e. sine superbia, sine desiderio honoris. »Fundamentum absconditur in terra; sic et eleemosyna debet, si fieri potest, abscondi. Ex fundamento in terra abscondito, domus assurgit in altum; sic ex piis operibus absconditis, assurgit domus caelestis, aedificium spirituale, salus aeterna, ubi vera vita et thesauri; quos *nec aerugo demolitur, nec tinea corrumpit* (Mt. 6, 20)" (Bern. a Pic.).

3. Num et ego in omnibus operibus respicio finem, gloriam Dei, visionem beatificam?

Colloquium: petam enixe a Beata Matre mea, ut intimius cognoscam hanc doctrinam

Sancti Pauli, quae est quasi *Evangelium divitum*. »Ave, suavis Maria, quae labore itineris fatigata, caruisti hospitio, et stabulum habuisti pro diversorio. Guberna omnes affectus animi mei, ut nihil in hoc mundo vitiose diligam, nulli rei visibili inhaeream: sed tamquam peregrinus et advena civitatem permanentem hic non habens, totis desideriis aeterna suspirem, et in solo Deo meo conquiescam" (Blosius).

Meditatio 37.

1 Tim. 6, 20 et 21.

I. De deposito, II. de vana doctrina,

20 O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, 21 quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.

III. de gratia.

Gratia tecum. Amen.

Praeludium 1: considerabo tria maxime necessaria bono clerico: custodiam depositi, devitationem vanae doctrinae, conservationem gratiae.

Praeludium 2: sistam me coram Jesu, mihi dante decem talenta.

Praeludium 3: petam a Matre prudentissima, ut superlucrari valeam decem alia.

Tessera: »Virgo prudentissima, ora pro nobis".

I. De depósito (v. 20ª).

1. *O Timothee:* locutio plena ardoris, paterni affectus, desiderii. — *Depositum:* idest Evangelii doctrinam. — *Custodi*, nam vigilantia necessaria est.

2. »Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem, non ingenii, sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor debes esse, sed custos, non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens". (Vinc. Lerin. Common. adv. haer. c. 17).

3. Gratias agam pro thesauro fidei; petam augmentum virtutis fidei; et auxilium ad bene custodiendum depositum in me et in aliis.

II. De vana doctrina (v. 20ª et 21).

1. *Devitans:* non tamen directe damnans quasi essent haereticae, *profanas vocum novitates* vel *vaniloquia* (2 Tim. 2, 16) *et oppositiones falsi nominis scientiae*, quales per omnia saecula quotidie novae oriuntur, quaeque per se non semper haereticae sunt, imprudentibus tamen persaepe periculum creant amittendi fidem; id quod aliquibus jam evenisse Apostolus testatur.

2. *a.* Vana illa *scientia inflat* (1 Cor. 8. 1) . . . Vera autem scientia est quae *datur . . . per Spiritum* (1 Cor. 12, 8), qua, quamquam *destruetur* in fine saeculi (1 Cor. 13, 8) tamen in hac vita *repleti* esse debemus, *ita ut* possimus *alterutrum monere* (Rom. 15, 14).

b. Pius X in exh. ad cler. cath.: »saepius accidit nostra aetate, ut homines e clero tenebris

dubitationis sensim offundantur et saeculi obliqua sectentur, eo praesertim quod piis divinisque libris longe alios omne genus atque ephemeridum turbam praeoptent, ea quidem scatentia errore blando ac lue. Vobis, dilecti filii, cavete: adultae provectaeque aetati ne fidite, neve sinite spe fraudulenta illudi, ita vos posse aptius communi bono prospicere. Certi custodiantur fines, tum quos Ecclesiae leges praestituant, tum quos prudentia cernat et caritas sui: nam venena istaec semel quis animo imbiberit, concepti exitii perraro quidem effugiet damna".

3. Petam enixe, ne qui existimem stare, cadam. Petam pro infelicibus Sacerdotibus: »Miserere, Pastor bone, praesertim Sacerdotum, fratrum nostrorum, si qui, ambulantes in vanitate sensus sui, Te et dilectam Sponsam tuam, Ecclesiam, lacrimabili defectione contristarunt. Concede nobis ad tuum complexum eos reducere, aut certe ipsorum expiare delicta, resarcire damna, et dolorem, quo Te afficiunt, amoris nostri consolatione minuere" (form. consecr. S. C. J. a clero recit. Pii X. 17 Aug. 1908).

III. De gratia (v. 21b).

1. Precatur gratiam Dei, gratiam sanctificantem, qua sola placemus Deo et mereri possumus vitam aeternam, et, quia haec gratia tam necessaria est, S. Paulus recte eam appre-

catur initio et fine omnium epistolarum (excepto initio ep. ad Hebr.).

2. Recolam quo pretio Jesus Christus nobis meruerit, ut filii Dei et heredes vitae aeternae possimus esse.

3. »O Jesu! da quaeso, da, ut deinceps morte quacumque potius moriar, quam ut gratiam tuam amittam. Oro et obsecro, per sacratissimum Cor tuum, hanc petitionem exaudi. Quaerat qui voluerit argentum vel aurum, honorem aut eminentiam, gaudia mundi aut consolationes: ego a Te, Domine, doctus, hoc unum prae omnibus opto, ut conservem gratiam tuam, atque in ea crescam omnibus diebus vitae meae" (Imit. S. C. J. l. 2. c. 1. n° 8).

COLLOQUIUM: cum Maria, petens ab ea, quae tam *beata* dicitur *quia* credidit (Luc. 1, 45), ut depositum bene custodiam; ab ea, quae conterit caput serpentis, ut vincam tentationes contra fidem; ab ea, quae est gratia plena, ut ipse continuo crescam in gratia.

Meditatio 38.

2 Tim. 1, 1—2.

I. S. Paulus. 1 Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitae, quae est in Christo Jesu:
II. S. Timotheus. 2 Timotheo carissimo filio, gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.

Praeludium 1: excitabo me ad fortitudinem animi.

Praeludium 2: videbo Sanctum Paulum, senem, debilitatum, Romae vinctum in carcere, sed plenum amore Jesu Christi, et ardore sapientia matura moderato, scribentem ad S. Timotheum.

Praeludium 3: per horum Sanctorum intercessionem petam a Jesu et Maria ut fortis sim animo, praesertim in....

Tessera: »Cor Jesu fortissimum, miserere mei, sicut scis, vis et potes" (G. Druzbicki. Meta Cord).

I. S. Paulus (v. 1).

1. *a.* S. Paulus, in fine aestatis anni 66, secunda vice captivus, certe exspectans mortem

brevi futuram (4, 6—8 et 18), a plerisque amicis suis derelictus (1, 15), etiam a Dema (4, 9), vel saltem ad tempus destitutus eorum auxilio (4, 10), ita ut in prima defensione ipsi nemo adstiterit (4, 16), Timotheum apud se socium et adjutorem exoptat (4, 21).

b. Sed nesciens, utrum ante mortem suam Timotheum visurus sit necne, sciens tamen, quanta in munere suo Timotheus fortitudine et constantia indigeat, ne titubet inter persecutiones, neve, amisso suo paterno amico et magistro, inter futuras tribulationes animum remittat, vult simul eum excitare ad novum fervorem, eique animum addere.

c. Incipit autem epistolam, enumerando titulos, quos communes habet cum Timotheo, et qui conferre possunt magnopere ad fortitudinem; nempe: *apostolus Jesu Christi*, ducis gloriosi, qui vicit mundum; apostolus *per voluntatem Dei*, qui eum vocavit. (Nil magis fiduciam et animos auget, quam intima persuasio, qua sentimus nos esse in statu in quo Deus nos vult esse); Apostolus *secundum promissionem*, olim datam prophetis, futurae salutis. Haec salus, haec vera vita jam nobis advenit in Christo Jesu, non autem nobis tantum, sed toti mundo. Ergo curabit etiam Deus, ut sint Apostoli, qui vitam illam promulgent. Ego sum unus ex illis.

2. Quid circa haec est considerandum? *a.* »Haec epistola sicut testamentum quoddam

est Apostoli" (S. Chrys. hom. 9, 2). *b.* Nil mirandum, etiam sanctos viros trepidare nonnumquam in magnis periculis. Ipse Christus voluit hoc pati (Mr. 14, 33; Hebr. 5, 7) et vincere. *c.* Mè imprimis esse apostolum èt verbo, èt opere, èt oratione, et quidem per voluntatem Dei, neque pro me ipso, sed ut alii magis et magis percipiant vitam quae est in Christo Jesu.

3. *a.* Rogabo illuminationem ut bene mediter hanc epistolam. *b.* »Passio Christi, conforta me" (S. Ign.). *c.* »Ipse enim certantes et de sua gratia sperantes paratus est adjuvare, qui nobis certandi occasiones procurat ut vincamus" (Imit. l. 1. c. 11. n° 4).

II. S. Timotheus (v. 2).

1. *a.* S. Timotheus sine dubio animo sincero secutus est consilia et praecepta a Magistro suo in priore epistola tradita. *b.* Sed crescentibus persecutionibus et invalescentibus pseudoprophetis, Apostolo utile videtur, eum denuo ad munus ejus instruere et in bono proposito confirmare et excitare.

2. Quid circa haec est considerandum? *a.* quantopere meruerit epitheton dilectissimi filii. *b.* »O votum Apostolo vere dignum! suo carissimo filio non divitias exoptat, nec honores, nec principum favorem, sed g r a t i a m Dei, qua et ipse sanctificetur amplius, et alios

sanctificet; misericordiam Dei, qua illius et ei subditorum peccata condonentur; pacem Dei, seu Spiritus Sancti, qua repletus Timotheus temporalia spernat, ad aeterna aspiret, temporalium contemptum et aeternorum amorem omnibus suis inspiret. Haec tria sibi et aliis exoptet vir apostolicus" (Bern. a Pic.).

3. *a.* Cor Sacrum Jesu, credo tuo erga me amori! (300 t.q.) *b.* Gratias agam Domino Jesu, quod tam paratus est mihi omnia dare ut bene perfungar officiis meis etiam in mediis periculis.

Colloquium: cum S. Paulo, cum Maria, cum Jesu, ter instanter petens fortitudinem animi, recolligendo incitamenta allata.

Meditatio 39.

2 Tim. 1, 3—5.

I. Gratitudo, 3 Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura,

II. amicitia, quod sine intermissione habeam (gr. quemadmodum .... habeo) tui memoriam in orationibus meis; die ac nocte 4 desiderans te videre, memor lacrimarum tuarum, ut gaudio implear,

III. laus. 5 recordationem accipiens ejus fidei quae est in te non ficta, quae et habitavit primum in avia tua Loide, et matre tua Eunice, certus sum autem quod et in te.

Praeludium 1: meditabor, quomodo S. Paulus confortet S. Timotheum manifestatione suae gratitudinis erga Deum, manifestatione suae amicitiae, et laudibus.

Praeludium 2: audiam Christum: »fili, Ego Dominus, confortans in die tribulationis. Veni ad me, cum tibi non fuerit bene." (Imit. l. 3, c. 30, n°. 1).

Praeludium 3: petam a Matre mea, ut in quacumque tribulatione confugiam statim ad Cor amicissimum Jesu, incipiens gratias agere

pro omni bono quod ab Eo accepi, et quovis momento accipio.

TESSERA: *miserere mei, Domine, quoniam tribulor* (*ps. 30, 10*).

I. Manifestat gratitudinem erga Deum (v. 3ª).

1. Juxta consuetudinem suam (Eph. 1, 3; Rom. 1, 8; Philipp. 1, 3, etc.) incipit gratias agere Deo, addens id, quod est tum ratio hujus gratitudinis, tum aliqua commendatio sui ipsius, et fortasse defensio contra obtrectatores: *cui servio a progenitoribus*, sicut progenitores mei, et in hoc similis sum tui, o Timothee, qui etiam progenitores sequeris in serviendo Deo; *cui servio . . . in conscientia pura*, nam si aliquando *blasphemus fui et persecutor et contumeliosus*, hoc *ignorans feci in incredulitate* (*1 Tim. 1, 13*).

2. Considerabo, quantopere juvet in tribulatione recolere grato animo beneficia Dei et quantum motivum ad gratias agendum sit, quod in vera fide sim et in gratia Dei, qui »nobis certandi occasiones procurat ut vincamus" (Imit. 1, 11, n°. 9).

3. »Si me vis esse in tenebris, sis benedictus; et si me vis esse in luce, sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, sis benedictus; et si me vis tribulari, sis aeque semper benedictus" (Imit. l. 3, c. 17, n°. 2).

II. Manifestat suam amicitiam (v. 3b et 4).

1. S. Paulus, agens de sua oratione ad Deum, memorat se in oratione sua numquam omittere preces pro Timotheo, quod certe est signum amoris. Tum addit: *die ac nocte desiderans te videre*: secundum signum amoris. Dein: *memor lacrimarum tuarum*, quod exprimit firmam persuasionem amoris mutui, necessarii ad amicitiam. Tandem: *ut gaudio implear*: ecce desiderium fruitionis amicitiae!

2. »Illum dilige, et amicum tibi retine, qui omnibus recedentibus, te non relinquet, nec patietur in fine perire" (Imit. l. 2, c. 7, n°. 1).

3. Examinabo me circa duo: num super omnes Jesum habeam amicum; num desolatos afflictosque paterno amore et fraterna amicitia juvem.

III. Sapienter laudat (v. 5).

1. Sancto Paulo magna consolatio est, mente revolvere, filium dilectissimum Timotheum, sicut ipse mansit, semper mansisse in bona, vera fide a parentibus accepta; id quod honori est Timotheo in tot tribulationibus versanti; eo magis, quod S. Paulus firmam suam persuasionem exprimit circa fidem Timothei.

2. Recolam haec: *a.* »ibi est a vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione secura est" (S. Aug. ep. 128 ad

Donat.); *b.* »amici dum laudant, hoc unum spectant ut meliorem reddant" (S. Chrys. hom. 9, in S. Paul).

3. Examinabo me, utrum laudem alios sicut oportet: sincere, juste, prudenter.

COLLOQUIUM: cum Jesu et Maria, ut allatis motivis semper utar sapienter ad animum addendum mihi ipsi et aliis.

Meditatio 40.

2 Tim. 1, 6—12.

Tria motiva ad fortitudinem animi: I. gratia sacerdotalis,

6 Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. 7 Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. 8 Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum Ejus: sed collabora evangelio secundum virtutem Dei:

II. beneficia Dei,

9 qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia. 10 Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per evangelium:

III. exemplum S. Pauli.

11 in quo positus sum ego praedicator, et apostolus, et magister gentium. 12 Ob quam causam etiam haec patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.

PRAELUDIUM 1: considerabo tria motiva ad excitandam fortitudinem animi.

PRAELUDIUM 2: ante oculos mentis ponam meipsum eo momento, quo Episcopus imposuit utramque manum super caput meum, nil dicens. Dein audiam eum orantem: »Exaudi nos, quaesumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos bene † dictionem Sancti Spiritus et gratiae sacerdotalis infunde virtutem, ut quos tuae pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per D. N. J. C."

PRAELUDIUM 3: petam quod volo. Erit hoc loco fortitudinis virtus, quae me moderetur circa ea, quae acerba et terribilia sunt, ita ut neque pravo timore neque temeritate quidquam agam, quod contrarium sit rectae rationi et legi divinae. Ad hunc finem petam, ut excitent me motiva tria, in hac parte libri Dei contenta.

TESSERA: *manda*, *Deus*, *virtuti tuae*: *confirma hoc Deus*, *quod operatus es in nobis* (*Ps. 67, 29*).

I. De gratia sacerdotali (v. 6—8).

1. Quis? S. Paulus, vinctus Domini, quia Providentia divina sic disponente multa passus est et iterum patitur. Quid? admonet Timotheum, et me. Ad quid? ut reviviscere faciam gratiam sacerdotalem, aliis verbis, ut, sicut ab igne cinis amovetur, quo incipiat ardentius

flagrare, ita removeam ab anima mea quidquid impedit, quominus efficaces fiant gratiae sacramentales, ad quas jus accepi in Sacramento Ordinis, et quae successive a Deo mihi offeruntur, quando ad ipsas Ordinis functiones rite subeundas necessariae sunt.

2. Cur S. Paulus hoc admonet? Quia fortis persuasio praesentis auxilii Dei specialis excitat hominem titubantem ad actus fortitudinis. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis,* fortitudinis in arduis, *et dilectionis*, caritatis, quae *omnia sustinet* (*1 Cor. 13, 7*), *et sobrietatis*, (gr.) prudentiae, qua evitentur defectus, qui saepe ex timore proveniunt, ut sunt praecipitatio, inconsideratio, inconstantia.

3. Quae proposita faciam? *a.* numquam *erubescere* statum meum et officium meum et Ecclesiae in oculis mundi humiliationes; *b.* collaborare, (gr.) pati, fortiter, cum Ecclesia, pro Evangelio. Ad haec juvabor virtute Dei, *quae est* in me *per impositionem manuum.* — Num pudet me pium esse, loqui de rebus divinis? .... Num fortis sum in hac vel illa tentatione? .... Num libenter patior aliquid circa victum, vestitum, sommum, tempestatem, quando salus animarum ad haec patienda invitat? .... Possum pie et enixe petere: »Jesu dilectissime, qui ex singulari benevolentia me prae millenis hominibus ad Tui sequelam et eximiam sacerdotii dignitatem vocasti, largire mihi, precor, tuam divinam gratiam ad officia mea

rite obeunda. Oro Te, Domine Jesu ut resuscites hodie et semper in me gratiam tuam, quae fuit in me per impositionem manuum Episcopalium. O potentissime animarum medice, sana me taliter, ne revolvar in vitia, et cuncta peccata fugiam: Tibique usque ad mortem ita placere possim. Amen". (Ind. 300 d. semel in die. Leo XIII, 14 Aug. 1884).

II. De beneficiis Dei (v. 9 et 10).

1. Quid Deus fecit? *a.* liberavit in actu primo mundum per redemptionem factam a Filio suo; *b.* unumquemque, et me, vocavit ad Christi doctrinam sequendam; *c.* redemit me et vocavit me sine meo merito; *d.* sed ex aeterno decreto: *in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans (Jer. 31, 3); e.* propter praevisa merita Christi; *f.* haec beneficia nobis obtulit, cum apparuit Verbum in carne; *g.* hoc Verbum incarnatum mortem animae destruxit morte sua, et institutione Sacramentorum Baptismi et Poenitentiae; *h.* mortem autem corporis resurrectione sua et Sacramento Eucharistiae, quo »futurae gloriae nobis pignus datur" (Cf. Jo. 6. 55).

2. *Rom 8, 32: qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

3. Cur in adversis non saepius repetam: *non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (*Rom. 8, 18*)?

III. De exemplo Sancti Pauli (v. 11 et 12).

1. *a.* In medio carcere, senex et corpore debilis, gloriatur in munere suo: praedicatoris, qui ubique enuntiat tamquam praeco revelationem divinam, apostoli, qui non rem suam, sed tamquam legatus, ipsius Dei revelationem profert, magistri, qui verbo et exemplo docet viam ad veram beatitudinem. — *b.* Scit utique se propter haec ipsa nunc pati, sed non confunditur, quia etiam scit se causam Jesu agere, qui depositum Apostoli sui, id est, merita ejus laborum et passionum reservabit ad diem, quo veniet ei aperire gloriam coelestem.

2. Juxta hoc Apostoli exemplum in arduis debeo ante oculos habere èt sublimitatem vocationis meae, èt praemium caeleste.

3. Ad me excitandum possum aspicere S. Paulum, sicut aspexit adolescentior fratrum Machabaeorum fratres suos, fortissime tolerantes acerbissima supplicia; et ab Angelo meo custode, vel potius a Matre Ecclesia, Christi Sponsa, mihi dicta fingam verba haec (2 Mach. 7, 27—29): *Fili mi, miserere mei, quae te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in aetatem istam perduxi.*

Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus: ita fiet, ut non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

COLLOQUIUM: mendicabo fortitudinem a septem fratribus et matre eorum, a S. Paulo, a S. Timotheo, a Maria, ab ipso Jesu, iteratim, instantissime repetens tesseram meam.

Meditatio 41.

2 Tim. 1, 13 et 14.

I. Fides et caritas exemplaris;
II. custodia doctrinae.

13 Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu.
14 Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.

Praeludium 1: meditabor, quomodo S. Paulus excitet ad fortitudinem animi commendando 1°. fidem et caritatem exemplarem, 2°. custodiam et conservationem doctrinae.

Praeludium 2: videbo Isaiam in templo, videbo visionem quam habuit et quomodo ad eum volaverit *unus de seraphim, et in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os* Isaiae, *et dixit: ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* Audiam dein *vocem Domini dicentis: quem mittam? et quis ibit nobis* (*Is. 6, 6—8*)*?*

Praeludium 3: enixe petam ut ad exemplum Jesu fiam *potens in . . . sermone* (*Luc. 24, 9*).

Tessera: *ecce ego, mitte me* (*Is. 6, 8*).

I. Fides et caritas exemplaris (v. 13).

1. Quid dicit S. Paulus? Postquam jam egregiis motivis excitavit Timotheum ad fortitudinem animi, statim addit, in quanam re praecipue Timotheo haec fortitudo exercenda sit, quippe qui in mediis falsis doctoribus versaretur tamquam pastor a multitudine luporum impugnatus, et magistro in carcere detento, circa fidem et fiduciam ne plus minusve titubaret, in periculo esset. Ideo dicit: fide et dilectione imaginem habe (i.e. teipsum imaginem exhibe) sanae doctrinae, quam a me audisti, ita, ut per fidem et dilectionem ipsa vita tua seu exemplo tuo sanam doctrinam commendes.

2. Quid circa haec est considerandum? Si volo cooperari cum gratia sacerdotali, debeo, *a.* fovere fidem, *b.* fovere dilectionem in Christo Jesu, *c.* exemplo meo commendare doctrinam Jesu Christi.

3. Eliciam actus fidei et caritatis. — *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos* (*ps 118, 16*). — Si hoc facio, tuto possum dicere: *ecce ego, mitte me.*

II. Custodia doctrinae (v. 14).

1. Id quod docere debes, est, ut scis, *bonum*, imo optimum, praeclarum *depositum*, e caelo missum, a Jesu Christo revelatum, illuminans intellectus nostros, nostras voluntates dulciter

invitans, viam patefaciens ad aeternam beatitudinem. Tu est depositarius, non proprietarius, custos, non dominus. *Custodi* ergo immaculatum, integrum hoc depositum. Quomodo hoc poteris in tot periculis, in quibus versaris? Ope et gratia Spiritus Sancti, ad hoc tibi collati in Ordinatione, et speciatim habitantis in iis, qui vocati sunt, ut Traditiones custodiant, Scripturas ad Apostolorum mentem interpretentur.

2. Quid circa haec est considerandum? Est ergo duplex depositum. »Unum quod nostrum est, apud Deum, depositum: labores, dolores pro Evangelio tolerati (v. 12); alterum, quod Dei est, apud nos, depositum, scilicet, verbum Dei, traditiones, evangelica doctrina". (Bern. a Pic.).

3. Quomodo colo Spiritum Sanctum, cum quo et per quem debeo, quantum in me est, renovare faciem terrae?

Colloquium: gratiam petam, qua sic vivam, ut semper dicere possim: *ecce ego, mitte me.*

Meditatio 42.

2 Tim. 1, 15—18.

I. Ignavia quorundam;

15 Scis hoc quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phigelus et Hermogenes.

II. fidelitas Onesiphori et III. gratitudo S. Pauli.

16 Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia saepe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit: 17 sed cum Romam venisset, sollicite me quaesivit, et invenit. 18 Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in die illa. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.

Praeludium 1: meditabor, quomodo S. Paulus ad fortitudinem excitet proponendo in exemplum defectionem quorundam et Onesiphori fidelitatem. Simul patebit S. Pauli animus gratus.

Praeludium 2: videbo Onesiphorum, virum fortem et simplicem, post multas inquisitiones invenientem Paulum vinctum, eumque consolantem amicitia sua et operibus corporalis misericordiae. Audiam et videbo quam gratus S. Paulus haec auxilia accipiat.

Praeludium 3: petam, ut his exemplis instructus, horrorem concipiam ab omni in-

constantia, fortis sim in operibus fidei et caritatis, gratus erga benefactores cleri.

TESSERA: *quia Tu es, Deus, fortitudo mea* (*ps. 42, 2*).

I. Ignavia quorundam (v. 15).

1. S. Paulus frustra invitaverat Christianos Asiaticos, inter quos Phigelus erat et Hermogenes, ut mitterent qui venirent Romam ibique Magistrum defenderent.

2. Considerabo: *a.* etiam in re spirituali humanam prudentiam non esse negligendam, ne *filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis* (Luc. 16, 8) inveniantur. Prudentia igitur moderetur fortitudinem; *b.* ignaviam esse contrariam fortitudini, maximoque dedecori clerico.

3. Examinabo meipsum circa defectus prudentiae, qui sunt: praecipitatio, inconsideratio, inconstantia, negligentia; ejusque excessus, qui sunt: prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, sollicitudo temporalium et futurorum nimia: nam his omnibus, quia agitur contra rectam rationem, bonae causae Dei magis nocerem quam prodessem.

II. Fidelitas Onesiphori (v. 16—18).

1. Quid fecit? Venit Romam, ut Magistro suo adesset; sollicite eum quaesivit cursitando de carcere in carcerem per totam urbem; non

erubuit catenam Pauli; saepe eum visitavit; et refrigeravit corporaliter et spiritualiter, sicut umbra et aura tempora aestuosa refrigerat; et quam constans fuerit ejus fidelitas, patet insuper ex hoc, quod jam olim Ephesi S. Paulo magnopere ministravit. Nunc autem, cum epistola scribitur, videtur jam obiisse (cf. v. 16 cum 18, et 4, 19, 21).

2. Considerabo quomodo et ego debeam haec omnia praestare non solum praesulibus, non solum divitibus, non solum amicis, sed miserrimis et pauperrimis et humilibus.

3. Veniam petam in quantum defectu fortitudinis in his deliqui, et scrutabor, unde defectus fortitudinis in me proveniat: ex sensualitate, ex affectu inordinato, ex respectu humano?

III. Gratitudo S. Pauli (v. 16—18).

1. Recolam: *a.* Dominum nostrum dixisse (Mt. 5, 7): *beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur; b.* S. Paulum non solum non oblivisci beneficia recenter Romae, sed etiam olim Ephesi recepta; *c.* benefactorem, quamvis mortuum, grato animo recoli ab eo, dum petit a Deo Patre, ut ille misericordiam consequatur a Jesu Christo, Domino nostro, in die judicii; *d.* S. Paulum etiam gratum esse propinquis benefactoris sui.

2. Discam a S. Paulo quantam gratitudinem

clericus habere debeat erga benefactores laicos, atque pro iis orare »ut supernae benedictionis gratias obtineant, et gloriam aeternae beatitudinis acquirant" (Miss., or. div. pro amic.). Ergo verbo et opere gratus ero.

3. Excitabo me ad fortitudinem in rebus fidei et caritatis etiam hoc motivo, quod Regem Jesum meum gratum erga me habebo in die judicii....

COLLOQUIUM: recolendo varia motiva in hoc primo capite enumerata, petam enixe fortitudinem in tentationibus, in periculis, in difficultatibus. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino* (*ps. 30, 25*).

Meditatio 43.

2 Tim. 2, 1—7.

I. Fortitudo: unde hauritur?
II. ubi primum exercenda?
III. et quomodo?

1 Tu ergo fili mi, confortare in gratia quae est in Christo Jesu:
2 et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.
3 Labora sicut bonus miles Christi Jesu. 4 Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus: ut ei placeat, cui se probavit. 5 Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. 6 Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. 7 Intellige quae dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Praeludium 1: fungere fortiter munere tuo, sicut miles, athleta, agricola.

Praeludium 2: videbo ante oculos meos historiam quam narrat 2 Mach. 8, 16—18: *convocatis autem Machabaeus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent inique venientium adversum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent, ante oculos habentes contu-*

meliam, quae loco sancto ab his injuste esset illata, itemque et ludibrio habitae civitatis injuriam, adhuc etiam veterum instituta convulsa. Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul et audacia: nos autem in omnipotente Domino, qui potest et venientes adversum nos, et universum mundum uno nutu delere, confidimus.

PRAELUDIUM 3: petam per intercessionem Mariae, quae est »Virgo potens", ut Deus induat me fortitudine sua, qua fortiter laborem contra hostes internos et externos regni Christi in me et in aliis.

TESSERA: *ego autem cantabo fortitudinem tuam: et exsultabo* (*sixt.: exaltabo*) *mane misericordiam tuam* (*ps. 58, 17*).

I. Fons fortitudinis (v. 1).

1. S. Paulus, post motiva allata, pergit alia nova adducere, quibus ita Timotheum instruit, ut ad martyrium eum praeparare videatur. Qualis suavitas in voce: *fili mi! Confortare*, id est, praebe te fortem. *In gratia:* et cur non potes praebere te fortem? elementum enim, quo vivis, est gratia, cujus fons inexhaustus est Christus Jesus, et *de plenitudine Ejus nos omnes accepimus* (*Jo. 1, 16*).

2. Considerabo: ad fortitudinem duo requiri: *a.* ut ipse agam fortiter; *b.* ut vivam in gratia, non tantum sanctificante, sed etiam sacerdotali,

quam resuscitatam (1, 6) teneam, animo parato, sibi conscio, ardente zelo.

3. Quid feci? . . . Quid faciam? . . . Gratias agam pro acceptis jam auxiliis; fatebor humiliter et sincere, non meam esse fortitudinem, quam forsan aliquando prae me tuli, sed fortitudinem Dei: *ego autem cantabo fortitudinem tuam: et exsultabo mane misericordiam tuam.* »Jesu, Deus fortis, miserere nobis! Jesu, fortitudo Martyrum, miserere nobis" (Lit. S. S. Nom.).

II. In quanam re praecipue exercenda fortitudo (v. 2).

1. Iterum dicit alio modo, quod jam inculcaverat (1, 12 et 13): compendium revelationis Christianae, quod a me audisti die Ordinationis tuae coram multis adstantibus, praedica, doce; et, quia non semper vives, imo forsan jam cito vel morieris, vel relinques Ephesum, ut Romam venias, *commenda*, depone depositum revelationis apud viros hac potissimum duplici dote insignes: ut sint vere fideles, ut sint apti qui alios doceant.

2. Considerabo id quod dicit S. Thomas in hunc locum: »*idonei* tripliciter: primo intellectu, ut sint sapientes ad intelligendum, item lingua, ut sint facundi ad docendum, item opere".

3. Num ego has qualitates habeo? . . . . Adibo fontem gratiae, quem ipse quotidie aperio in Missa; primus adsto, cur non primus hauriam

fortitudinem? *Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus* (*ps. 42, 5*).

III. Quomodo exercenda fortitudo (v. 3—7).

1. *a.* Removendo impedimenta, sicut bonus miles abstinet a negotiis civilibus, ut melius serviat duci, cui se adstrinxit; *b.* perseverando in recto modo agendi, sicut athleta non tantum fortitudine utitur, sed juxta regulas praescriptas utitur, et propterea tantum coronatur; *c.* diligentiam adhibendo, sicut agricola non nisi laborando primum jus ad fructum obtinet.

2. Considerabo: *a.* clerico impedimenta esse: curam temporalium, studium nimium rumorum saecularium; rectum agendi modum juxta statuta dioecesana; *diligentiam* impendi debere pro animabus (2 Cor. 12, 15); *b.* quod dicit S. Th. in hunc locum: *bonus miles Christi Jesu* est aliquis tripliciter: »primo, in quantum pugnat contra peccata; secundo, pugnando contra errores; tertio, est militia martyrium contra tyrannos et haec est laboriosior"; *c.* ad fortitudinem recte adhibendam necessariam esse sapientiam, prudentiam, *intellectum: si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter* (*Jac. 1, 5*); *viri mali non cogitant judicium:*

qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia (*Prov. 28, 5*).

3. Enixe, instanter petam, ut recte utar fortitudine animi.

COLLOQUIUM: secundum hoc, quod dicit S. Thomas (in 3 dist. 34 q. 3 a. 1): »fortitudinis donum utitur divina voluntate quasi sua, secundum quod in ps. 71, 1 dicitur: *diligam Te Domine, fortitudo mea*", instanter petam, nunc et sub Sacrificio Missae: »ne permittas me separari a Te" (S. Ign.) ut gaudens dicere possim: *omnia possum in Eo qui me confortat* (*Philipp. 4, 13*).

Meditatio 44.

2 Tim. 2, 8—13.

I. Merces Christi,

8 Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum evangelium meum,

II. exemplum Pauli,

9 in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. 10 Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Jesu, cum gloria coelesti.

III. divinae promissiones et minae.

11 Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus: 12 si sustinebimus, et conregnabimus: si negaverimus, et Ille negabit nos: 13 si non credimus, Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.

Praeludium 1: excitat ad fortiter agendum, ostendendo spem praemii: primo in exemplo Christi, secundo in exemplo suo, tertio in promissionibus divinis sub conditione fidelitatis.

Praeludium 2: videbo et audiam Eleazarum, senem nonaginta annorum, qui *cum plagis*

perimeretur, ingemuit et dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste Tu scis quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter haec patior. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum juvenibus, sed et universae genti memoriam mortis suae ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens (2 Mach. 6, 30, 31).

PRAELUDIUM 3: petam id quod volo: fortitudinem habere in zelo animarum.

TESSERA: *omnia sustineo propter electos.*

I. Merces Christi (v. 8).

1. Ut doctrina evangelica, quam trado, docet, — sic S. Paulus — Jesus Christus, qui ut filius David homo est, resurrexit a mortuis. *Memor esto* hujus rei, ut spe similis praemii excites te ad imitandam Jesu fortitudinem.

2. Considerabo quantopere juvet ad fortiter agendum, ut animo sim laetus et alacris, et qua ratione clericus talis esse possit, nempe semper ante oculos habendo Jesum, cui eo similior erit in gloria, quo similior fuerit in labore et passione.

3. *Hab. 3, 18 et 19: ego autem in Domino gaudebo: et exsultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea: et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

II. Exemplum S. Pauli (v. 9).

1. Propter hanc doctrinam — sic pergit S. Paulus — sicut et Christus passus est, et ego patior afflictiones et persecutiones usque ad carcerem et vincula, quasi homo facinerosus: mala patior quasi mala operans. Sed quid ad me? Evangelium liberum est, non est vinctum; nam ego, etsi ligatus, tamen praedico, et, quando non amplius praedicare possum, certum est, Evangelium ab aliis, a me instructis, praedicatum iri. Ideo propter illos discipulos meos libenter mala patior, ut et alii, qui electi quidem sunt, sed nondum ad finem pervenerunt, *et ipsi* sicut ego et discipuli mei, salutem consequantur quam Salvator noster attulit, et quae consummabitur in gloria caelesti. Atque eo libentius omnia gravia fero, quod meae sustinentiae exemplo ducti facilius amplectentur religionem christianam tum coaevi tum posteri. Sic *adimpleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia* (*Coloss.* 1, 24).

2. Quid circa haec est considerandum? *a.* Pati pro bona Dei causa, *b.* quae ipsis tribulationibus meis non accipit nocumentum, *c.* imo multum promovetur: est certe aliquid desiderabile pro veri nominis clerico. Penitus hoc figam in mente, et, quia fortitudo magis occupatur circa timores reprimendos quam circa audacias moderandas, ideoque principalior

actus fortitudinis est sustinere, hoc est immobiliter sistere in periculis, quam aggredi (2, 2 q. 123 a. 6) . . . .

3. Examinabo me, quomodo sustineam difficultates corporales et spirituales in exercendo zelo. Num sicut sancto Paulo, etiam mihi persuasum est, haec omnia cooperari in bonum? (Rom. 8, 28).

III. Divinae promissiones et minae (v. 11—13).

1. Sicut 1 Tim. 3, 16 et 6, 15 et 16, haec forsan sunt verba alicujus hymni liturgici. Quattuor principia, ex revelatione deducta, stringunt ad fortiter patiendum: *a. si commortui sumus, et convivemus; Rom 6, 8: si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo. b. si sustinebimus et conregnabimus; Mt. 19, 28: amen dico vobis quod vos qui secuti estis Me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. c. si negaverimus, et Ille negabit nos; Mt. 10. 33: qui autem negaverit Me coram hominibus, et negabo Ego eum coram Patre meo, qui in caelis est. d. si non credimus* (i. e. si non sumus fideles), *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest; 1 Reg. 15, 29: triumphator in Israel non parcet, et poenitudine*

non flectetur: neque enim homo est ut agat poenitentiam. Cfr. Rom. 3, 3.

2. Perpendam haec principia.

3. Petam, ut, si quando amor Dei me non faciat fortem in sustinendo, saltem spe praemii et poenae timore sustinear.

COLLOQUIUM: cum bono sene Eleazaro, cum sancto Paulo, cum Jesu et Maria.

Meditatio 45.

2 Tim. 2, 14—18.

I. Commonere magnas veritates fidei nostrae,

14 Haec commone, testificans coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.

II. operari inconfusibiliter,

15 Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem,

III. recte exponere verbum veritatis,

recte tractantem verbum veritatis.

IV. vaniloquia devitare.

16 Profana autem, et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: 17 et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenaeus et Philetus, 18 qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.

Praeludium 1: quattuor regulae pro concionatoribus.

Praeludium 2: videbo Sacerdotem in medio altaris ante Evangelium, oculorum elevatione, inclinatione profunda, triplici oratione, »Munda .... Jube .... Dominus" .... humiliter et instanter petentem, ut digne et competenter annuntiet Evangelium.

PRAELUDIUM 3: petam a »Sede Sapientiae" gratiam, qua ex mea parte omnia faciam, ut semper digne et competenter annuntiem Evangelium Jesu Christi.

TESSERA: »Dominus sit in corde meo et in labiis meis!"

I. Commonere magnas veritates fidei nostrae (v. 14).

1. In memoriam revocabo haec: cum hoc versu incipit secunda quasi pars epostolae. In prima excitavit Apostolus variis motivis ad fortitudinem. Sed, quia haec fortitudo moderamen accipere debet tum a lege divina, tum a recta ratione, et ad fortitudinem in agendo magnopere juvat, accurate scire quid in diversis circumstantiis faciendum sit, — docet in hac parte priore loco, v. 14—26, quid faciendum sit respectu falsorum doctorum. Et primo quidem commonere debet veritates enumeratas (v. 3—13), et quidem fortiter, nempe »testem invocans Dominum, eumque judicem et vindicem minans, ac per eum adjurans sacraque religione ac timore constringens tuorum subditorum conscientias, commone et perurge, ut haec quae scripsi, exacte custodiant" (Corn. a Lap.).

2. Quid circa haec est considerandum? Id quod Apostolus addit: *noli contendere verbis* vel (gr.) »simul contestans eos coram Domino,

ne verbis contendant". Ergo debeo et ipse abstinere a vanis cavillationibus et disputationibus, et commonere alios ne hoc faciant. Cur? Quia primo esset terere inutiliter tempus, quod vindicat sibi vera et sublimis doctrina Christi, et secundo istae disputationes offendunt simplici et sincerae fidei Christanorum, imo non semel ad eam perdendam perducunt.

3. *ps. 50, 17: Domine labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam. ps. 118, 13: in labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.*

II. Operari inconfusibiliter (v. 15).

1. Operarius inconfusibilis eris, si non erubescas doctrina ob crucem Christi, sed libere eam profitearis, et intrepide praedices Gentilibus eam irridentibus; si neque erubescas omnibus iis, quae ad servitium Dei pertinent: atque ita agas, ut neque erubescere debeas tua negligentia, inconstantia, ignavia.

2. Motivum est: sic me probabilem seu beneplacentem exhibebo Deo. Et hoc mihi unice curae esse debet.

3. *ps. 138, 23 et 24: proba me Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas. Et vide, si via iniquitatis in me est: et deduc me in via aeterna.* Et si cor purum habeo et non-divisum, facile mihi erit, non erubescere Evangelium meum: *ps. 39, 11: justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuam dixi.*

III. Recte exponere verbum veritatis (v. 15).

1. *Recte tractantem,* (gr.) recte secantem; sicut coriarius in loris et corrigiis superflua quaeque rescindit, ita ego ea quae verbo Dei extranea aut superflua sunt, abscindam; sicut coquus recte debeo secare, dividere, secernere, enucleare, unicuique proponere pro ejus captu; sicut bona mater infantibus suis secat panem et carnes, ut facilius manducent et melius nutriantur . . . .

2. Considerabo Evangelium Jesu omnibus omnino destinatum esse, quia debemus omnes gentes docere, ut servent quaecumque mandavit Dominus (Mt. 28, 19 et 20). Cogitabo, Jesum ipsum tum rudes, tum scribas, tum Apostolos suos varie docuisse. Motivum meum iterum est: sic placebo Domino.

3. Nec hanc, nec priores, nec sequentem regulam observare potero, si non plenus sum Jesu et doctrina ejus per assiduam scilicet meditationem verbi Dei, ut cum Psalmista dicere possim: *etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. Nam et testimonia tua meditatio mea est: et consilium meum justificationes tuae* (ps. 118, 23, 24).

IV. Vaniloquia evitare (v. 16—18).

1. Ad hos versus in memoriam revocare utile est verba Pii X ad clerum (»Pascendi"

8 Sept. 1907): »Vocum novitatem caveant meminerintque Leonis XIII monita: probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem, quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa".

2. Hymenaeus et Philetus negabant futuram resurrectionem corporum, *dicentes resurrectionem jam esse factam*, sive per regenerationem in Baptismo (Joan. 3, 3—9) sive eo quod parentes reviviscunt in prole sua. Error mox evanuit, sed interim *subvertit quorumdam fidem*. Et sic innumerae jam in decursu saeculorum ab Ecclesia damnatae sunt sententiae periculosae, temerariae, etc. quae conduxerunt multos ad impietatem et ad perdendam fidem, et deinceps merito in oblivionem abierunt.

3. Quis, qui videt tot etiam clericos lapsos in laqueos vaniloquentium, non exclamet: *nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte periissem in humilitate mea*; (ps. 118, 92) et non instanter petat: *servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* (*ps. 118, 125*).

COLLOQUIUM: cum Maria qui *conservabat omnia verba* Jesu *in corde suo* (Luc. 2, 51).

Meditatio 46.

2 Tim. 2, 19—21.

I. Ecclesia est domus, habens signaculum,

19 Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: »cognovit Dominus qui sunt Ejus''; et »discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini''.

II. continens varia vasa.

20 In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea, et fictilia: et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. 21 Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

Praeludium 1: cras meditabor hoc: Ecclesia habet membra bona et minus bona; sed, quod ita sunt, ab ipsis pendet.

Praeludium 2: videbo historiam, Timotheo primisque Christianis ex Judaeis valde notam, Num. 16, 1—16: quomodo Core et alii ambiant principatum et sacerdotium. Audiam Moysen: *notum faciet* (gr. cognovit) *Dominus qui ad se pertineant* (*v. 5*). Audiam Deum irascentem, Moysis autem et Aäronis precibus permotum, praecipere ut omnis populus *sepa-*

retur a tabernaculis Core et Dathan et Abiron (*v. 24*). Audiam Moysen: *recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum* (*v. 26*).

PRAELUDIUM 3: »Turris Davidica, ora pro nobis", ut numquam obliviscamur illa duo principia, quae unusquisque christianus — quanto magis quivis clericus! — semper in mente habere debet: *cognovit Dominus, qui sunt Ejus .... discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini.*

TESSERA: *cognovit Dominus, qui sunt Ejus.*

II. Ecclesia est domus, habens signaculum (v. 19—20).

1. *a.* S. Paulus sic fere procedit: quamquam autem fides aliquorum periit (v. 17 et 18), noli tamen perdere fiduciam, tam necessariam ad fortiter agendum, nam: stat Ecclesia, etiam cadentibus membris aliquibus Ecclesiae (v. 19—21). Sed, ubi conjuncti sunt boni et mali Christiani in domo Dei, ibi prudentia et severitas erga seipsum necessaria est, ut statim dicam (v. 22—26), et inprimis firma persuasio, falsos illos, dum vivunt, posse fieri bonos (v. 21).

b. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: etc. Hoc enim Ecclesiae Dei proprium est (*signaculum*), quod Deus (cum emphasi, ideoque Deus *solus*) novit quinam veri et boni Christiani sint, quamquam hoc

ab eorum propria voluntate pendeat: sunt enim hi, qui observant illud: *discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini:* id est: illi omnes qui bona sua voluntate a malo (et a malis doctoribus) recedunt (v. 19 cf. Num. 16, 27).

c. Sicut igitur domus habet suam inscriptionem, suum signaculum, quo indicatur vel qui ibi habitent, vel ad quem finem destinata sit, sic Ecclesia habet *signaculum hoc: cognovit* etc.

2. *Dominus intuetur cor* (*1 Reg. 16, 7*); *scrutans corda et renes Deus* (*ps. 7, 10*); *Ego sum pastor bonus; et cognosco meas, et cognoscunt me meae* (*Jo. 10, 14*); *et Ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea* (*Jo 10, 28*). Qui corde credunt et animo, fide sincera, et ambulant in praesentia Dei saltem ad animam Ecclesiae pertinent.

3. *a.* num fides mea est sincera? .... *b.* gratias agam pro vocatione mea ad sanctam Ecclesiam; *c.* orabo pro iis, qui bona fide errant .... et pro iis, qui mala fide errant. »Refugium peccatorum", miserere peccatorum! »Cor Jesu, victima peccatorum", miserere!

II. Ecclesia est domus, continens varia vasa (v. 21).

1. *a.* Tamquam unum principium stat dogma praevisionis divinae et libertatis humanae (v. 19 et 20). Sunt in Ecclesia (et cognoscuntur a

Deo) boni et mali (v. 20), sed pendet ab ipsorum voluntate esse quod sunt; et hinc: *si quis ergo emundaverit se ab istis*, seu discesserit *ab iniquitate*, etiam ex vase *in contumeliam*, fiet *vas in honorem* . . . .

b. Sicut in palatiis principum et divitum quaedam vasa, tam ex aureis et argenteis, quam ex ligneis et testaceis, honorificis, quaedam vilibus deputantur ministeriis, sic in Ecclesia Dei tum inter rudes, tum inter doctiores et elevatiores sunt quidam, qui moribus sunt sordidi, quoad fidem franguntur, et fracti ejiciuntur.

c. Sed adest magna dissimilitudo, nam vasa Ecclesiae Dei possunt efficere, ut a sordibus mundata, in honorificos usus accommodentur. . .

2. Nunquam obliviscar, omnem peccatorem, adjutum gratia, fieri posse si vult: vas *sanctificatum* per Sacramentum Poenitentiae, *utile Domino*, virtutibus moralibus exercendis, *ad omne opus bonum paratum*, si pergit cooperari gratiae divinae.

3. Quid mihi in hisce deest? . . . .

COLLOQUIUM: ad Ecclesiam applicando verba Psalmistae *83, 11: melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*, gratias agam pro vocatione ad veram fidem, ad vitam sanctam, ad convertendos peccatores.

Meditatio 47.

2 Tim. 2, 22—26.

I. Sectari virtutes,

22 Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro.

II. vitare contentiones,

23 Stultas autem, et sine disciplina quaestiones devita: sciens quia generant lites. 24 Servum autem Domini non oportet litigare:

III. quaerere oves errantes.

sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, 25 cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati: nequando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, 26 et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

Praeludium 1: considerabo quid facere debeat hisce temporibus bonus clericus.

Praeludium 2: audiam Jesum: *sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris* (*Luc. 12, 35*).

Praeludium 3: petam a Virgine prudentissima, ut distincte sciam, quae desint mihi, et ut fortes conatus adhibeam illa acquirendi.

Tessera: »Cor Jesu, virtutum omnium abyssus, miserere nobis."

I. Sectari virtutes (v. 22).

1. *a.* fuga juvenilium desideriorum: »respexit Apostolus ad curiositatem, ambitionem et inanem gloriam, quam juvenes ambiunt, praesertim docti, ut velint videre subtiles, sapientes, ceterisque doctiores; ideoque quaerunt et proponunt novas, curiosas, sed stultas et indisciplinatas quaestiones, ex quibus oriuntur lites et pugnae" (Corn. a Lap.); *b.* sectare .... *justitiam*: irreprehensibilem esse coram Deo, conscientia, hominibus; *c. fidem*: sincere, non in praxi sceptice, sed fortiter credendo; *d. spem*, quae fundatur in Dei promissis, in Dei potentia, bonitate, in praeteritis Dei beneficiis; *e. caritatem*: erga Deum, nam *qui diligit proximum, legem implevit* (*Rom. 13, 8*); *f.* pacificum esse, nam *beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur* (*Mt. 5, 9*).

2. *a.* considerabo, quomodo Jesus et Maria has virtutes sectati sint. *b.* »Equidem sunt qui putent, quin etiam profiteantur, sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus totum impendat: quamobrem, dimissa fere illarum cura virtutum, quibus homo perficitur ipse (eas inde vocitant passivas), aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut activas virtutes quis excolat exerceatque. Haec sane doctrina mirum quantum fallaciae habet atque exitii" (Pius X: exh. ad cl. cath.).

3. Reflectens ad meipsum, humiliabo me, veniam petam, bonum aliquod propositum practicum faciam.

II. Vitare contentiones (v. 23 et 24a).

1. Rejice et exspue (gr.) quaestiones quae stultae sunt, id est, quae pugnant cum vera caelesti sapientia, et quae sine disciplina sunt, id est, quae nihil conferunt ad alios instituendos.

2. Cur vitandae tales contentiones? *Quia generant lites*, pugnas verborum; *servum autem Domini*, magistrum sermonis (Luc. 1, 2), *non oportet litigare*, digladiari verbis; secundum exemplum Ejus, in quo adimpletum est, *quod dictum est* (Is. 42, 1) *per Isaiam prophetam, dicentem: ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae .... Non contendet, neque clamabit, neque audiet quis in plateis vocem ejus* (*Mt. 12, 18 et 19*).

III. Quaerere oves errantes (v. 24b—26).

1. Quattuor dotes boni pastoris et apostoli: *a. mansuetum esse ad omnes*, affabilem esse, blandum, misericordem, ut Deus erga populum Israel: *in funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis: et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum: et declinavi ad eum, ut vesceretur* (*Osee, 11, 4*); *b. docibilem*, paratum ad docendum, instruendum, publice

et privatim, practice et amoene; *c. patientem* morum et infirmitatum proximi; *d.* zelatorem: mansuete (gr.) instruendo eos, qui doctrinae Ecclesiae opponunt suos errores et dubia.

2. Cur? si forte *Deus det illis* cum gratia externa mei sermonis tantam gratiam internam, ut efficaciter perveniant ad veritatem et sanctitatem. — Meditabor miseram sortem peccatorum, qui sunt: *a.* sine poenitentia: in sordibus vitiorum; *b.* sine veritate: in tenebris errorum; *c.* in laqueis diaboli, servi passionum; *d.* servi ad nutum diaboli, ad alios iterum perdendos.

3. Nonne haec me excitare debent ad vehemens desiderium ut, quantum possum, tales infelices liberem? Sed quomodo potero, si deest mansuetudo, aptitudo instruendi, patientia, zelus?

Colloquium: ante Jesum crucifixum genibus provolutus orabo pro tribus classibus peccatorum hodiernorum: primo pro iis, qui tempus terunt in vanis quaestionibus negligentes doctrinam veram Jesu Christi (1 Tim. 1, 4); secundo pro iis, qui falsis suis sententiis inhaerentes, superbe restiterunt Matri Ecclesiae, et ab ea excommunicati sunt (1 Tim. 1, 20, et 2 Tim. 2, 17); tertio pro iis, qui a falsis doctoribus, falsis doctrinis imbuti, aberrant a via vera, et, ni resipiscant, in mortem aeternam incurrent (v. 25). Dein petam pro me....

Meditatio 48.

2 Tim. 3, 1—9.

I. Futura tempora periculosa

1 Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: 2 erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, 3 sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, 4 proditores, protervi, timidi, et voluptatum amatores magis quam Dei: 5 habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.

II. jam nunc prope sunt,

Et hos devita: 6 ex his enim sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis: 7 semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes. 8 Quemadmodum autem (Exod. 7, 11) Jannes et Mambres restiterunt Moysi: ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem;

III. sed ultra non proficient.

9 sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.

PRAELUDIUM 1: futura tempora periculosa jam nunc praeluduntur, *sed ultra non proficient.*

PRAELUDIUM 2: videbo palatium Pharaonis, ibique Moysen et Aaronem, convocantes plagas; item videbo maleficos et sapientes, quaedam similia facientes; donec, post aquam Nili in sanguinem versam, post innumeras ranas, in tertio sciniphum portento coacti sunt exclamare: *digitus Dei est hic* (*Exod. 8, 19*). Videbo dein totum mundum hodiernum, in quo tot homines resistunt Deo et Ecclesiae; quomodo veritatibus revelatis opponant suas quasi-veritates, et multos ad vitia detrahant; et quomodo haec omnia Deus permittat, ut postea, ad humiliationem diaboli et glorificationem Creatoris tota creatura rationalis exclamare debeat: *digitus Dei est hic.*

PRAELUDIUM 3: petam, quod volo: fortitudinem in mediis periculis.

TESSERA: *da mercedem sustinentibus Te,* et (gr.) *ut prophetae tui fideles inveniantur. Eccli 36, 18.*

I. Futura tempora periculosa (v. 1—5a).

1. S. Paulus, sciens tela praevisa minus nocere, describit quae futura sint mala tempora, vivente forsan Timotheo. *Erunt homines*, non quidam, sed perplures, homines generatim fere,

seipsos amantes: amor sui fons omnis peccati; *cupidi* divitiarum; *elati*, amatores pompae; *superbi*, quibus Deus resistit; *blasphemi*, maledici, contumeliosi erga Deum et proximum; *parentibus non obedientes*: jam in tenera aetate incipiet corruptio; *ingrati* erga Deum et alios benefactores, *scelesti*, nulla sancti ratione habita; *sine affectione*: vera amicitia locum cedet libidini; *sine pace*: fidelitas conjugalis et observantia filialis peribunt; *criminatores*, se invicem detrahentes; *incontinentes* voluptuosi gula, ventre; *immites*, quia libido facit crudeles; *sine benignitate*: (gr.) bonos non amantes; *proditoros*: amicitiae desertores; *protervi*: leves, instabiles, praecipites, temere agentes; *timidi* (gr.) tumidi: superbia inflati; *voluptatum amatores magis quam Dei*. S. Aug. de Civ. Dei 19, 28: »fecerunt itaque civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui". — Tandem: pii apparent exterius, sed reipsa sunt lupi in pelle ovina (Mt. 7, 15), ita ut multi initio allecti, dein in laquaeis constricti, sine magna gratia Dei non resipiscant.

2. Considerabo, quomodo bonus clericus e diametro se opponere debeat carni, diabolo et mundo, excellens in his praesertim virtutibus, contra quas plurimum peccatur.

3. »Piis adauge gratiam — reisque dele crimina" (Hymn. »Vexilla").

II. Jam nunc prope sunt (v. 5b—8).

1. *a.* Jam nunc incipiunt pseudo-doctores sicut olim diabolus in paradiso, debilem mulierum intelligentiam primum tentare, callide, insinuanter, sub specie amicitiae, quasi solo motivo satisfaciendi rationabili sciendi desiderio; dein impudenter Adamum per Evam. *b.* Sunt isti pseudo-doctores resistentes *veritati* evangelicae, *homines corrupti mente*, quia corrupti corde, *reprobi circa fidem*, nimirum, quod ad fidem attinet, probati et genuini non sunt. *c.* Et ideo mulieres istae semper discunt et numquam ad veram scientiam pervenire valent.

2. Considerabo: *a.* eos, qui onerati sunt peccatis, et nolunt ad Sacramentum Poenitentiae redire — qui ducuntur variis desideriis pravis — qui indulgent insanae curiositati, etiam hisce temporibus eo denique agi, ut fidem perdant; *b.* quam vera sint verba Pii X (in Enc. »Pascendi"): »inimicorum crucis Christi, postrema hac aetate numerum crevisse admodum, fatendum est; qui, artibus omnino novis astuque plenis, vitalem Ecclesiae vim elidere, ipsumque, si queant, Christi regnum evertere funditus nituntur".

3. *Miserere civitati sanctificationis tuae Jerusalem, civitati requiei tuae! Reple Sion in enarrabilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum. Da testimonium his, qui ab initio creaturae tuae sunt, et suscita praedi-*

cationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetae priores. Da mercedem sustinentibus Te, ut prophetae tui fideles inveniantur: et exaudi orationes servorum tuorum (Eccli 36, 15—18).

III. Sed ultra non proficient (v. 9).

1. *Multum* quidem *proficiunt* (2, 16) vaniloquia *ad impietatem*, attamen *ultra non proficient* falsi-doctores.

2. S. Jo. Chrys.: »licet enim in principio prospere agat error, ad finem tamen usque non permanet. Talia enim sunt, quae natura non sunt bona, licet bona esse videantur: ad tempus florent, sed deprehenduntur et pereunt", et auctores illorum cum illis.

3. Quia tamen interim clericus èt ipse cavere debet ne aberret, èt ut bonus pastor quaerere debet oves errantes, »ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini" (Pius X. »Pascendi").

Colloquium: augmentum harum trium virtutum enixe petam a Jesu et Maria.

Meditatio 49.

2 Tim. 3, 10—17.

I. Proponit exemplum suum,

10 Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, 11 persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiae, et Lystris: quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus.

II. conditionem bonorum et malorum,

12 Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 13 Mali autem homines, et seductores, proficient in pejus; errantes, et in errorem mittentes.

III. perseverantiam in fide.

14 Tu vero permane in iis quae didicisti, et credita sunt tibi; sciens a quo didiceris, 15 et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Jesu.

16 Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: 17 ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

PRAELUDIUM 1: munit Timotheum contra pericula: proposito suo exemplo — exposita conditione bonorum et malorum — commendando perseverantiam in fide propter verbum Dei traditum et scriptum.

PRAELUDIUM 2: videbo, quomodo Paulus et Barnabas, excitata contra eos persecutione a Judaeis, a mulieribus et a primis civitatis, ejecti sint de finibus Antiochiae Pisidiae (Act. 13, 50); quomodo, ne lapidarentur, Iconio fugere debuerint (Act. 14, 5); quomodo Paulus, ab incolis Lystrae lapidatus, vix non mortuus extra civitatem relictus, iterum tamen non sine successu Lystram reversus sit (Act. 14, 18—20).

PRAELUDIUM 3: instabo petitioni meae apud Jesum et Mariam, ut fortis sim in bono zelo.

TESSERA: *eripuisti animam meam de morte — et pedes meos de lapsu — ut placeam coram Deo — in lumine viventium* (*ps. 55, 13*).

I. Proponit exemplum suum (v. 10 et 11).

1. *a.* Exemplum S. Pauli in doctrina et virtutibus: *tu autem* sequere, sicut jam secutus es, *meam doctrinam*, id quod te docui, meam *institutionem*, modum vivendi, *meum propositum*, id quod mihi proposui, gloriam Dei et animarum salutem, meam *fidem*, qua vivo, pro qua mori paratus sum, meam *longanimitatem*, quando fructus operis mei non videbam, meam *dilectionem* erga fratres, etiam perfidos,

meam *patientiam* in sustinendis doloribus et contumeliis.

b. Exemplum S. Pauli in persecutionibus feliciter superatis.

2. Considerabo, ad quae paratus esse debeam, quibus praesertim virtutibus enitere, quantopere fiduiciam habere in Deo.

3. *Eripe animam meam: salvum me fac* (*ps. 6, 5*); *eripe me de manu inimicorum meorum* (*ps. 30, 16*); *a timore inimici eripe animam meam* (*ps. 63, 2*); *laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo* (*Eccli. 51, 15 et 16*).

II. Conditio bonorum et malorum (v. 12 et 13).

1. *a*. boni, qui vere *volunt*, non vellent... *b*. mali, qui alios pervertunt, adhuc pejores fiunt; sed non diu proficient in aliis seducendis (v. 9).

2. *a. ps. 33, 20: multae tribulationes justorum et de omnibus his liberabit eos Dominus*. »Omnes, qui in Christo recte conversantur, odio habentur etiam a corporis sui membris" (Ambrosiaster). Cf. Jo. 16, 2. *b*. Recolam conditionem bonorum et malorum descriptam *ps. 1, 1: Beatus vir ...; 4: non sic impii ...*

3. »Passio Christi, conforta me!" (S. Ign.)

III. Perseverantia in fide (v. 14—17).

1. *a.* ex magisterio Apostoli, a Deo vocati et electi; *b.* ex studio sacrae Scripturae, quae utilis est ad sciendam viam veritatis et salutis, ad praestanda officia doctoris, ad plenam efformationem hominis perfecti.

2. Perpendam singulas voces, memor Ambrosiastri: »omnis scriptura, cujus Deus auctor ostenditur, utilis est."

3. Quomodo utor sacra Scriptura? . . . .

Colloquium: petam a Jesu et Maria, ut media et adjumenta ad fortitudinem bene adhibeam.

Meditatio 50.

2 Tim. 4, 1—8b.

I. Excitat ad promptitudinem in executione: obtestando,

1 Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus:

II. urgendo,

2 praedica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. 3 Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus: 4 et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 5 Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple. Sobrius esto.

III. movendo.

6 Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meae instat. 7 Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 8 In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddit mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.

Praeludium 1: excitat ad promptitudinem in executione obtestando, urgendo, movendo.

PRAELUDIUM 2: aspiciam *signum Filii hominis in caelo* (*Mt. 24, 30*); audiam plangentes *omnes tribus terrae* (*ibid.*); videbo *Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa et majestate* (*ibid.*), *et omnes* (*angelos*) *cum Eo* (*Mt. 25, 31*), Eumque sedentem *super sedem majestatis suae* (*ibid.*); considerabo congregationem omnium, separationem ab invicem, oves a dextris, haedos a sinistris; et audiam Regem dicentem: *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Mt. 25, 34*).

PRAELUDIUM 3: petam a Matre misericordiae, ut motivis a S. Paulo allatis efficaciter movear ad prompte peragenda quae praescribuntur versiculo 5.

TESSERA: »per te Virgo sim defensus, in die judicii!" (ex hymn. »Stabat Mater").

I. Obtestatur per Christi Judicis adventum (v. 1).

1. Rogo, obtestor, adjuro te: cogita Deum, cogita Jesum Christum, Judicem tuum, cogita ultimum judicium, cogita regnum coelorum consummatum in coelo.

2. Perpendam, in illa die omnem creaturam scituram esse quo modo ego perfunctus fuerim officio meo clericali.

3. Adorabo Jesum Judicem per ps. 96, a v. 1—7 apparitionem Ejus cantantem, et a

v. 8—12 consummationem judicii. Imprimis cantabit anima mea cum Angelis: *custodit Dominus animas sanctorum suorum* (v. 10), et: *laetamini justi in Domino: et confitemini memoriae sanctificationis ejus* (*v. 12*).

II. Urget praedicationem faciendam omni tempore et modo (v. 2—5).

1. Quid faciendum? *praedica verbum:* sis praeco revelationis; *insta:* (gr.) adi populum, pone te ante populum; et, quia periculum in mora, et urgent pericula, omni modo, quocumque tempore et loco loquere; *argue*, ubi vides falsos doctores impugnantes veritatem; *obsecra*, hortare, excita ad vitae sanctimoniam; *increpa:* depravatos mores. Sed haec omnia fieri debent *in omni patientia* (primo loco, quia prius debebis quaerere, pulsare) *et doctrina*, nam, ut jam dixi, *servum . . . Domini . . . oportet . . . mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem* (*2, 24*).

2. Cur tantopere urget talem praedicationem? Jam instat pejor conditio, quam antea descripsi (1 Tim. 1, 4); populo insidiabantur doctores, qui intendebant fabulis; mox ex ipso populo multi rejicient doctores evangelicos, cupientes mollia audire, quaerent doctores, eosque multiplicabunt, qui pravis satisfaciant concupiscentiis.

3. In v. 5 habeo regulam, normam vitae clericalis.

III. Monet proponendo mortem instantem, bonam vitam, coronam (v. 6—8b).

1. *a.* considerat se ut victimam jam ad immolationem praeparatam; brevi solvetur anima a corpore; *b.* gloriam suam relinquit Timotheo: triplicem gloriam: pugnavit, perseveravit, vicit; *c.* libenter morior, corona me exspectat!

2. Attente considerabo haec praeclara verba, testamentum S. Pauli, in quo respicit praesentia, praeterita et futura! Quantum motivum Timotheo, ut novo fervore incensus vices Pauli suppleat!

3. »O fortunatos nos Dei ministros, si quondam in extremo vitae articulo magni Apostoli verba usurpare possimus! Cujus quidem voti ut compotes fiamus, audiamus illum ipsum nobis inclamantem: *imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*1 Cor. 4, 16*)" (v. St.).

Colloquium: enixe petam a Jesu, ut sim inter eos, *qui diligunt adventum Ejus;* qui sic vivunt, ut in mediis tentationibus, periculis, calamitatibus, tuta conscientia coram Jesu, Maria et Angelo Custode certant certamen fidei, nil veriti, imo laete exspectantes judicium Judicis.

Meditatio 51.

2 Tim. 4, 8c—22.

I. S. Paulus derelictus,

8c Festina ad me venire cito. 9 Demas enim me reliquit, diligens hoc saeculum, et abiit Thessalonicam: 10 Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. 11 Lucas est mecum solus. Marcum assume, et adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium. 12 Tychicum autem misi Ephesum. 13 Penulam quam reliqui, Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas. 14 Alexander aerarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus: 15 quem et tu devita: valde enim restitit verbis nostris. 16 In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.

II. gratus et Deo fidens,

17 Dominus autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur, et audiant omnes gentes: et liberatus sum de ore leonis. 18 Liberavit me Dominus ab omni opere malo: et salvum faciet in regnum suum caeleste, cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

III. plenus caritate (ad I)

19 Saluta Priscam, et Aquilam, et Onesiphori domum.
20 Erastus remansit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.
21 Festina ante hiemem venire.
Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.

IV. plenus Jesu Christo.

22 Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

PRAELUDIUM 1: conabor intrare in intima sensa Sancti Pauli, ut iisdem et ipse induar.

PRAELUDIUM 2: videbo sanctum Paulum senem, in carcere vinctum, instante hieme sine penula frigidum, absentibus multis caris amicis et sacrae Scripturae libris desolatum, sed fortem et alacrem in fide, fiducia et caritate.

PRAELUDIUM 3: per Mariam, plenam gratiae, petam a Spiritu Sancto donum fortitudinis, quo divino auxilio confidens, disponar ad tolerandas quascumque adversitates et ad gravia pericula subeunda.

TESSERA: *Deus meus factus est fortitudo mea* (*Is. 49, 5*).

I. S. Paulus in desertione personarum carārum, utilium, necessariārum (v. 8c—16 et 20).

1. In memoriam revocabo ob quas causas S. Paulum dereliquerint personae carae, utiles, necessariae: *a.* Demas amore mundi; *b.* Cres-

cens, Titus, Marcus, Tychicus propter regnum caelorum praedicandum; *c.* Alexander odio; *d.* in defensione prima, amici ex timore et debilitate; *e.* Trophimus ob aegritudinem.

2. Considerabo: *a.* 5 causas ob quas me mihi cari derelinquere possint: defectionem a fide vel virtute: quantum debeo tum orare Deum! — Deum: quam libenter debeo tunc carere eorum praesentia! — odium: quantopere debeo tunc cavere ne ipse incipiam odisse, et quantopere orare, ut ita illis reddatur *secundum opera* eorum, ut in hac vita puniti, in altera gaudium aeternum consequantur; — respectum humanum, prudentiam carnis, etc.: patienter feram, pro iis orabo, non eos molestabor imprudenti zelo; — mortem, vicissitudines rerum: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job 2, 21*).

b. S. Paulus desiderat praesentiam Marci et Timothei. »Si vero amorem aliorum obtinere desideras aut conaris, ut commodis meis studeas, ut salutem tuteris aeternam, ut perfectionem animarum promoveas, ut regnum amoris mei extendas, ut corda lucreris Mihi: ecce amari quaeris propter Me". Ita vox Jesu (Imit. S. C. J. II, c. 9, n°. 3).

c. Libri quos S. Paulus sibi afferri petit merito supponuntur fuisse libri s a c r i, quibus semper prae ceteris omnibus studuerat. Audi Pium X in exh. ad clerum cath.: »praeceptio

valet ejusdem S. Hieronymi: semper in manu tua sacra sit lectio (ep. 58 ad Paulinum n. 6). Quis enim nesciat maximam esse in amici animum vim cujuspiam amici qui candide moneat, consilio juvet, carpat, excitet, ab errore avocet? *Beatus, qui invenit amicum verum* (*Eccli 25, 12*). *Qui autem invenit illum, invenit thesaurum* (*Eccli 6, 14*). Jamvero amicos vere fideles adscribere ipsi nobis pios libros debemus."

3. »Tene te apud Jesum .... Ex omnibus ergo caris, sit Jesus solus dilectus specialis" (Imit. 2, 7 et 8).

II. Fidens Deo pro re temporali et spirituali (v. 17 et 18).

1. Quis? *Dominus*. Quid? *astitit*, *confortavit*, liberavit, liberabit (v. 18 gr.), *salvum faciet*. Ubi? Romae, in urbe pagana. Quibus auxiliis? dando ut evaderem *de ore leonis* — dando auxilium gratiae efficacis ut perveniam ad *regnum* aeternum. Cur? *ut per me praedicatio impleatur, et audiant omnes gentes*; ut ipsi Domino reddatur *gloria in saecula saeculorum*. Quomodo? non amicis, sed gratia sermonis. Quando? anno 61 vel 62 vel 63, ut tu, Timothee, scis, sed revoco in mentem, ut tu quoque firmius Deo confidas.

2. Haec omnia et mihi praestabit Dominus, si facio Ejus voluntatem.

3. Eliciam actus amoris in Cor Jesu.

II. Plenus caritate in minimis (v. 19 et 21).

1. Prae magni momenti rebus quas in epistolis suis tractat nunquam obliviscitur Apostolus consueta urbanitatis et caritatis officia. Salutat amicos suos Ephesi degentes (v. 19), et amicorum romanorum salutationes Timotheo transmittit (v. 21).

2. Ex minimis rebus cognoscitur verus amor, magis ex modo agendi quam ex verbis.

3. Operam dabo, ne in minimis quidem displiceam iis, qui mihi in Jesu Christo cari sunt.

VI. Plenus Jesu Christo (v. 22).

1. Jesus in te, Timothee, et in omnibus vobis.

2. Comparabo cum hoc id quod S. Franc. Salesius saepissime in epistolis suis exclamabat: vivat cor Jesu in cordibus nostris!

3. Num ego omnia mea desideria ad hoc unum necessarium referre possum?

COLLOQUIUM: mendicabo donum fortitudinis.

Meditatio 52.

Tit. 1, 1—4.

I. Christianismi finis,

1 Paulus servus Dei, apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est. 2 In spem vitae aeternae,

II. fundamentum,

quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora saecularia: 3 manifestavit autem temporibus suis verbum suum in praedicatione, quae credita est mihi secundum praeceptum Salvatoris nostri Dei:

III. signum characteristicum (caritas).

4 Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro.

Praeludium 1: perpendam singula verba, quae continent finem (v. 1 et 2a), fundamentum (v. 2b et 3) et signum characteristicum (caritas) Christianismi (v. 4).

Praeludium 2: ponam ante oculos Jesum recens natum, et adorabo Deum meum incarnatum.

Praeludium 3: petam gratiam a Jesu, Maria, Joseph, ut intimius perspiciam naturam status mei clericalis....

Tessera: Jesus! Maria! (100 t.q.).

Paulus: in autumno anni 65 Corinthi vel in Macedonia scribens ad Titum, vult accuratius instruere »Titi munus esse praedicare Christi gratiam ac docere non Judaeorum, gentilium aut haereticorum fabulas, sed mores Christianos et sanctos, in quibus sita est vera pietas Deique cultus" (Corn. a Lap.).... num mihi de hoc munere meo intime persuasum est?....

servus Dei: sicut omnes homines revera sunt: speciatim ego clericus. Num bonus et fidelis?.... num credo me inutilem esse servum quidquid feci (*Luc. 17, 10*)?.... et tamen non inutilis alio sensu?....

apostolus autem Jesu Christi: specialis servus, ad munus legati elevatus! Humiliabo me...

secundum fidem: legatio mea est circa fidem, eo spectat ut credant homines; *sine fide.... impossibile est placere Deo* (*Hebr. 11, 6*); et ad hoc creati sunt homines ut placeant Deo. Orabo pro iis, qui, si non convertuntur, numquam pervenient ad hunc finem....

electorum Dei: nam sine gratia immerita nemo potest aut amplecti aut diu retinere fidem....

et agnitionem veritatis: en primum effectum fidei: veritatem habebunt perfectam cum supereminenti certitudine. Credo, Domine....

quae secundum pietatem est: en secundum effectum fidei: qui est verus Dei cultus in observatione legis naturalis et positivae;

hoc dicit contra Cretensium falsos doctores, qui non sancte et pie vivebant.

in spem vitae aeternae: eo enim tendunt veritas et pietas, ut homines in hac terra incohatam, in caelo habeant vitam consummatam, aeterne felicem. Quoties cogito caelum, patriam meam, quo tendo, quo intrabo forsan jam hodie? . . . .

quam promisit: fides et spes nituntur auctoritate Dei.

qui non mentitur Deus: qui nec falli nec fallere potest. Cogitabo fidem crescere, dulciorem fieri repetitis actibus. Num saepius elicio actus fidei in mysteria Eucharistiae? . . . Sine fide vivida nulla vera devotio. . . .

ante tempora saecularia: antiquis jam temporibus: *Gen. 3, 15: inimicitias ponam* . . . . o Maria! . . . .

manifestavit autem: adibo praesepe . . . . adorabo . . . . percurram vitam Jesu . . . . gratias agam . . . .

temporibus suis: ab aeterno statutis, post quae ego natus sum et vivo, ita ut traditione ad me pervenerit

verbum suum: veritatem, revelationem christianam promisit obscuris prophetiis, imaginibus; manifestavit Incarnatione. Admirabor et conabor imitari fidem Mariae, Joseph, pastorum . . . . . *in praedicatione:* Jesu, Filii Dei . . . Apostolorum . . . mea . . . quae *credita est mihi* etiam *secundum praeceptum Salva-*

toris nostri Dei (1 Cor, 9, 16): nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero.

Tito: Titus, parentibus ethnicis natus, non tamen ab Apostolis coactus suscipere circumcisionem, Galatis notus (Gal. 2, 1, 3), postea a S. Paulo bis Corinthum missus, Epheso et e Macedonia (2 Cor. 2, 12, 13; 8, 16 sqq.), comes S. Pauli in itinere in Cretam, ab eo ordinatus episcopus ecclesiae ibi fundatae, ibi mansit post discessum Apostoli (1, 5). Dein in Dalmatiam abiit (2 Tim. 4, 10). Ejus muneris gravitas patet ex hoc quod a priscis temporibus Cretenses pessimum sibi nomen induxerant ob luxuriam, pigritiam, fallaciam. — Ecce homo apostolicus, laboris non fugiens! .... et ego? ....

dilecto filio: (gr.) germano, genuino, quia fidem servabat sibi a Paulo traditam.

secundum communem fidem: »adverte modestiam Pauli, qui ita se patrem Titi vocat, ut se ejusdem fratrem agnoscat. In fide tibi, o Tite, sum pater, quia te genui, et frater, quia eandem mecum habes fidem; fides mea fides tua est tibique communis eamque non adulteras, sed genuinam tenes et tueris aeque ut ego, tamquam germanus mihi in fide filius" (Corn. a Lap.). Admirabor in hoc et sequentibus verbis Apostoli, quantopere fulgeat signum characteristicum christianismi: caritas fraterna.

gratia et pax: haec quoque sunt dona

propria Christianorum: vivunt et agunt supernaturaliter; pacem habent cum Deo, cum proximo, cum conscientia propria.

a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro: omnia a Deo per Jesum, Deum-Hominem.

COLLOQUIUM: cum Jesu in praesepe: offeram meipsum ad labores apostolatus.

Meditatio 53.

Tit. 1, 5—9.

I. Cur relictus Titus in Creta?

5 Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.

II. dotes sacerdotis: respectu familiae,

6 Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriae, aut non subditos.

respectu morum,

7 Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: 8 sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem,

respectu scientiae.

9 amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.

Praeludium 1: considerabo cur relictus sit Titus in Creta, et quales sint dotes boni sacerdotis.

Praeludium 2: audiam iterum verba Ordinarii in ordinatione subdiaconi: »Et ideo, si

usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc somnolenti, amodo vigiles. Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti. Quod ipse vobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum".

PRAELUDIUM 3: petam, ut, examine instituto, sciam quid desit mihi, et hoc acquirere strenue coner.

TESSERA: *in quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos* (*ps. 118, 9*).

I. Cur relictus Titus in Creta (v. 5).

1. Ut, quae rectae ecclesiae ordinationi adhuc deerant, perficeret, praesertim, ut in singulis civitatibus insulae Cretae constitueret sacros ministros.

2. Considerabo, quantopere differat status bonae dioeceseos, ubi Catholici abundant ecclesiis et bonis ministris ab illo statu Cretensi .... et gratias agam si his beneficiis fruor. Simul considerabo, quomodo in civitate, ubi abundant operarii in vinea Domini, fides et mores subverti possint, plus minusve, si vel operarii isti non laborant, vel prudentia serpentina iis deest, vel etiam filii tenebrarum prudentiores, vigilantiores, magis laboriosi sunt quam filii lucis.

3. Petam enixe pro sacerdotibus, qui curam animarum habent, ut, devoti Sacratissimo Cordi

Jesu, ex eo hauriant thesauros virtutum, scientiae et sapientiae .... Quis est defectus in me quo maxime impedior, quin plura et meliora faciam quam facio?

II. Dotes boni sacerdotes (v. 6—9).

Quoad familiam (v. 6).

1. *a.* ut membrum societatis domesticae: sit irreprehensibilis, liber ab omni mali suspicione; *b.* specimen dans continentiae perfectioris; *c.* specimen dans virtutum cardinalium et auctoritatis paternae.

2. Omnia huc reveniunt: vince teipsum — posside teipsum.

3. Examinabo me, et quem invenero majoris momenti defectum, hunc serio corrigam.

Quoad mores (v. 7 et 8).

1. *a.* Careat vitiis: superbiae, iracundiae, ebrietatis, violentiae, cupiditatis; *b.* polleat virtutibus: hospitalitatis, amoris omnis boni et honesti (gr.), prudentiae (gr.), justitiae, pietatis, tranquillitatis quoad animi perturbationes.

2. Considerabo: *a.* cur talis debeat esse quisquis sacerdos est: quia nimirum, ut innuit S. Paulus, ex iis elegi debet Episcopus; *b.* quia Dei dispensator est: »est non dominus, sed oeconomus et administrator domus Dei, quae

est Ecclesia; ipse ergo toti Ecclesiae vitae integritate quasi sol praelucere debet; in illum enim omnium intenti sunt oculi" (Corn. a Lap.).

3. Examinabo me, ante oculos habens dignitatem muneris mei.

Quoad doctrinam (v. 9).

1. Quid? *amplectentem*, tenacem, mordicus retinentem (S. Ambr.) *eum, qui secundum doctrinam est*, qui sanae doctrinae et fidei consentaneus sit, *fidelem*, veracem et indubitatum *sermonem*. »Non statuit, inquit Theodoretus ut episcopus sit disertus, sed ut divinorum eloquiorum peritus" (Corn. a Lap).

2. Cur? *ut potens sit exhortari .... et .... arguere.*

3. Sincere examinabo me coram Deo, num fortasse aliqua culpabilis ignorantia causa sit, cur non majores fructus percipiam ex concionibus, hortationibus in confessionali, privatis sermonibus meis. Non sum natus scientiae, non sum natus humanioribus artibus, sed sum natus regno Dei extendendo. Num forsan ex mediis facio finem?

Colloquium: cum Jesu et Maria; offeram propositum hunc vel illum defectum extirpandi; petam gratiam; providebo occasiones hodie venturas.

Meditatio 54.

Tit. 1, 10—16.

I. Processus mali inter homines;

10 Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores; maxime qui de circumcisione sunt: 11 quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia. 12 Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. 13 Testimonium hoc verum est.

II. quid faciendum sacerdoti;

Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, 14 non intendentes judaicis fabulis, et mandatis hominum, aversantium se a veritate.

III. praecipuus error judaïzantium.

15 Omnia munda mundis: coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia. 16 Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

Praeludium 1: meditabor de malitia hominum.

Praeludium 2: videbo »magnam capacitatem et ambitum mundi, ubi habitant tam multae

ac tam diversae gentes" (S. Ign. Ex. sp.); et quot ex iis descensuri sint in infernum nisi convertantur.

PRAELUDIUM 3 : petam enixe gratiam a Virgine purissima, ut sciam mala mundi, contra quae oportet me strenue pugnare.

TESSERA : *ps. 118, 139 : tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

I. Processus mali inter homines (v. 10—13a).

1. *Inobedientes :* incipit malitia ab inobedientia erga legem et doctrinam Dei; *vaniloqui :* dein morsus conscientiae extinguere conantes homines incipiunt amplecti falsas doctrinas, easque proferre coram aliis, ut sibi melius persuadeant; *seductores :* deinceps, quia exempla bonorum ferre non possunt, seducere eos conantur; *maxime qui de circumcisione sunt :* ita fit etiam apud eos, qui deberent esse exemplo aliis; *v. 11 :* fructus talis processus est, quod pacem et harmoniam extinguunt in multis familiis inter parentes et filios, qui seducti sunt; tandem, quam saepe videmus homines lapsos tandem aliquando non nisi *turpis lucri gratia* docere *quae non oportet*, *v. 12 :* Finis est : perfidia, crudelitas, luxuria.

2. Considerabo : *a.* evangelicae scientiae (v. 9) necessitatem in sacerdote patere ex modo agendi

falsorum doctorum (v. 10 et 11) et ex vitiis capitalibus (v. 12); *b.* quomodo processus mali adhuc hodie eodem modo fiat, ac olim in Creta; *c.* nonnumquam utile esse posse ex ore ipsorum redarguere eos: (Dion. Carth.) »commemorat vero apostolus hunc poetam, ut Cretenses proprii auctoris testimonio redarguti plus erubescant et corrigantur".

3. Excitabo me ad zelum cogitatione S. Chrys. (hom. ad pop.): »sufficit unus homo zelo Dei succensus totum corrigere populum".

II. Quid faciendum sacerdoti (v. 11ª et 13ᵇ et 14).

1. Debet redarguere (v. 11), i. e. os obturare, ad silentium redigere; increpare (v. 13): non solum minis et zeli flagello — sunt malae bestiae quibus debetur flagellum, ait S. Thom. — sed etiam persuasionibus, ostendentes eos non esse spiritualiter sanos, doctrinas eorum esse fabulas, eos inobedientes Deo obedire multo servilius mandatis hominum.

2. Considerabo me haec omnia facere non posse, nisi observem regulam auream Sancti Bernardi (lib. de Consid.): »zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia: sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus."

3. Cor Jesu, inflamma cor meum....

III. Praecipuus error Iudaïzantium (v. 15 et 16).

1. Tum temporis in Creta falsi doctores certos cibos immundos praedicabant, quasi lex Mosaica vigeret adhuc.

2. Considerabo: *a.* per se licitum esse creaturarum usum; *b.* debito modo utendum illis esse; *c.* praecipue pura conscientia rectoque fine; *d.* coinquinatos et infideles, quibus debita moderatio rectusque finis deest, pessimo rerum usu Deum factis negare, abominabiles seu execrabiles fieri ob morum impuritatem, magis magisque falsae doctrinae immersos, et minus semper aptos ad bona agenda quae remote disponunt et praeparant ad salutem.

3. Consideratis hisce miseriis malitiae hominum, excitabo me ad zelum, non obliviscens verba S. Aug. (in ps. serm. 118): »zelus est effectus amoris: ergo qui non zelat, non amat"; et (expos. in ep. ad Gal. 6, 1): »dilige et dic quod voles."

Colloquium: cum purissima Virgine et amabilissimo Jesu, ut fiam bonum instrumentum ad reducendos homines ad Jesu et Maria felicem amplexum, incohatum in terra, in caelo consummandum.

Meditatio 55.

Tit. 2, 1—10.

1 Tu autem loquere quae decent sanam doctrinam:

I. Quid doceat homines provectioris aetatis;

2 senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia: 3 anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes: 4 ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, 5 prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.

II. quid juvenes;

6 Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. 7 In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, 8 verbum sanum, irreprehensibile: ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

III. quid servos.

9 Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, 10 non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.

Praeludium 1: perpendam S. Pauli instructionem de congrua fidelium institutione.

PRAELUDIUM 2: audiam S. Paulum divinas instructiones incipientem: *tu autem*, minister Dei, *loquere*, publice et privatim, non quae non oportet, sicut seductores faciunt (1, 11), sed *quae decent sanam doctrinam*, quae consentanea sunt doctrinae revelatae.

PRAELUDIUM 3: petam gratiam sermonis, in quantum hac mihi opus est, ad bene fungendum munere meo.

TESSERA: *ps. 50, 15: docebo iniquos vias tuas: et impii ad Te convertentur.*

I. Quid doceat homines provectioris aetatis (v. 1—5).

1. In memoriam revocabo: *Lev. 19, 32: coram cano capite consurge, et honora personam senis: et time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus. Eccli. 8, 7: ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt.*

2. Attente considerabo: *a.* quid docere debeam senes .... nempe eas virtutes, quibus tolerabiles fiant miseriae senectutis; *b.* quid docere debeam anus .... nempe: respectu sui sanctam corporis compositionem et abstinentiam a calumniis et a nimio potu observent; respectu adolescentularum sibi commissarum, eas omnes huic statui proprias virtutes doceant. Sic Titus per alias mulieres doceat adolescentulas; si per se ipsum, consideret

eas *ut sorores in omni castitate* (*1 Tim. 5, 2*). *c.* motivum proponendum: *ut non blasphemetur verbum Dei.*

3. Jesu, mitis et humilis corde, fac cor meum secundum cor tuum .... ut jugum tuum, quod aliis imponere debeo, non aggravem intemperato zelo, imprudenti severitate.

II. Quid doceat juvenes (v. 6—8).

1. *a.* Juvenes in genere doceat sobrietatem et temperantiam; *b.* ob juventutem suam ipse Titus monetur cum verbo conjungere exemplum, gravitatem morum cum doctrina.

2. Considerabo: *a.* S. Jo. Chrys. in h. l.: »nihil enim, nihil ita difficile et grave in hac juvenili aetate, quam absurdas voluptates superare. Neque enim pecuniarum cupiditas, neque gloriae desiderium, neque aliud quidpiam ita hanc aetatem exagitat, ut corporum amor. Ideo missis aliis omnibus, circa illud letale vulnus admonitionem instituit." *b.* idem ac supra proponi motivum: *ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

3. Domine Jesu, per illam benignitatem tuam, qua juvenem divitem, qui praecepta omnia observabat, aspexisti cum amore, excita in me tantam devotionem ad Cor tuum, ad Matrem tuam, ad Angelum custodem; et cetera media conservandae castitatis fac me

ita possidere, ut et meipsum si opus est, et maxime saeculares juvenes efficaciter exhortari possim.

III. Quid doceat verbos (v. 9 et 10).

1. Subjectionem et dominis placendi studium, fidelitatem.

2. Considerabo iterum aliis verbis idem motivum proponi: *ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.*

3. Examinabo me, *a.* num fortasse magis amem conversari cum divitibus quam cum pauperibus .... *b.* utrum ego, clericus, agendi modo ornem Ecclesiam, an ei dedecori sim, et causa, cur *blasphemetur verbum Dei.*

Colloquium: cum Maria, quae privato sermone tantum profuit propagandae fidei tum apud Apostolos tum apud mulieres; cum Jesu, qui èt privato èt publico sermone mundum vicit.

Meditatio 56.

Tit. 2, 11—15.

I. Incarnatio Verbi;
11 Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,

II. ejus finis proximus (in terra),
12 erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo,

III. finis ulterior (in coelo),
13 expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi:

IV. a Christo Redemptore intentus;
14 qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

V. modus haec praedicandi.
15 Haec loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

Praeludium 1: ad ista, quae proposuit a v. 1 ad 10 tum Tito, tum variis classibus hominum inculcanda, proponitur opus Redemptionis ejusque finis.

Praeludium 2: videbo quomodo nascatur Filius Dei ex Virgine Maria, nocte, in stabulo. Ibi scilicet *gratia Dei Salvatoris nostri* in terra apparere coepit.

Praeludium 3: petam quod volo: ut con-

sideratione operis Redemptionis inflammatus in omnibus agam solo amore Jesu: »fac nos .... ita flagrantes amore Tui, ut eundem caritatis ignem in animis fidelium excitare et fovere non cessemus" (Pius X, formula consecr. a clero recitanda).

TESSERA: *quomodo non etiam cum Illo omnia nobis donavit?* (Rom. 8, 32).

Singula verba ita perpendam, ut magis magisque inflammer amore Jesu.

I. Incarnatio Verbi (v. 11).

1. *Apparuit*: (Is. 60, 1 et 2) *surge, illumina-nare Jerusalem*, populo electe, imo totum genus humanum, *quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram, et caligo populos*, qui voluerint converti: *super te autem*, qui te subjecisti voluntati Dei, *orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur*. O bone Jesu, velis *illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent!* (*Luc. 2, 79*).

2. *enim:* haec apparitio est ratio cur tam sancte vivere debeas, populo electe: *et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui* (*Is. 60, 3*).

3. *gratia:* gratia haec est misericordia et benevolentia Dei omnibus hominibus exhibita in Incarnatione Christi, vel gratia haec est ipsa Incarnatio Verbi gratuita, vel ipse Deus

Salvator gratuite incarnatus, afferens nobis reconciliationem, remissionem peccatorum omnemque gratiam, sapientiam, doctrinam, salutem (ita Corn. a Lap. sec. S. Hier.). *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quae retribuit mihi?* (*ps. 115, 12*).

4. *Dei*: illius, *qui est* (Exod. 3, 14) *qui spiritus est* (Jo. 4, 24), qui *Dominus unus est* (Deut. 6, 4), qui est *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus* (*Deut. 32, 4*), qui *bonus est Dominus sperantibus in Eum, animae quaerenti Illum* (*Thren. 3, 25*), *idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant Illum* (*Rom. 10, 12*).

5. *Salvatoris*, qui dando hoc donum, dedit salutem. *Ego sum, Ego sum Dominus, et non est absque Me Salvator* (*Is. 43, 11*); *quia ipse Deus meus, et salvator meus*: *adjutor meus, non emigrabo* (*ps. 61, 7*). *Ecce Deus, Salvator meus, fiducialiter agam* (*Is. 12, 2*).

6. *omnibus hominibus*: *Sap. 11, 24*: *sed misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam.* [25] *Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti...*

II. Ejus finis proximus (in terra) (v. 12).

1. *Erudiens*: *Deut. 8, 5*: *quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te,* [6] *ut custodias mandata Domini*

Dei tui, et ambules in viis Ejus, et timeas Eum.

2. *nos*: et paganos et judaeos; et pauperes et divites; et doctos et indoctos.

3. *ut*: inducit finem eruditionis divinae per Incarnationem: non finem ultimum et universalem, quae est gloria divina, nam *universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum* (*Prov. 16, 4*); sed finem proximum ab homine in terra, et (v. 13) finem ulteriorem deinceps in caelo attingendum.

4. *abnegantes: Mt. 16, 24: si quis vult post Me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur Me.*

5. *impietatem:* quia *odio sunt Deo impius et impietas ejus* (*Sap. 14, 9*).

6. *et saecularia desideria*: quia etiam desideria rerum quae ducunt ad impietatem *odio sunt Deo.*

7. *sobrie* erga nosmetipsos, *et juste* erga proximum, *et pie* erga Deum *vivamus in hoc saeculo*, (Hebr. 13, 14): *non enim habemus hic manentem civitatem.* Tria bonorum operum genera respondent tribus officiis: jejunium, eleemosyna, oratio (Tob. 12, 8).

III. Finis ulterior (in caelo), (v. 13).

1. *Exspectantes: ps. 26, 14: exspecta Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum et sustine Dominum; ps. 38, 8: et nunc quae*

est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia (spes) mea apud Te est; Prov. 20, 22: exspecta Dominum, et liberabit te.

2. *beatam spem et adventum gloriae magni Dei: et Salvatoris nostri Jesu Christi*: i. e. rem speratam, nimirum, secundum Domini adventum et hunc gloriosum, quando veniet *in nubibus cum potestate magna et majestate (Luc. 21, 27). Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui (Is. 60, 19, 20).*

IV. A Christo Redemptore intentus (v. 14).

1. *Qui dedit semetipsum pro nobis:* Pater dat Filium, Filius dat seipsum, *nobis* omnibus, qui participes fieri possumus salutis. (Gal. 1, 4; Eph. 5, 25; Rom. 4, 25).

2. *ut nos redimeret ab omni iniquitate:* ut solveret pretium nostrae liberationis. Sine Jesu non possumus nec placare Deum, nec mereri *beatam spem. Quomodo non etiam cum Illo omnia nobis donavit?*

3. *et mundaret sibi populum acceptabilem: Exod. 19, 5: si ergo audieritis vocem meam,*

et custodieritis pactum meum, eritis Mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. [6] *Et vos eritis Mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Haec sunt verba quae loqueris ad filios Israel.* Comparabo Jesum Moysi, populum christianum populo Israel.

4. *sectatorem bonorum operum*: »videsne ut opera nostra exigantur? nec modo opera quaerit, sed et sectatorem, i. e. qui cum ingenti studio virtutem adeat, et cum vehementia competenti?" (S. Jo. Chrys. in h. l.) Ut talis sim, petam a Jesu, quando mox iterum apparuerit sub speciebus panis et vini.

V. Modus haec omnia praedicandi (v. 15).

1. *Haec loquere*: publice, privatim, omni occasione, fidelibus et infidelibus, enuntiabo haec quattuor I—IV.

2. *et exhortare*: exhortabor fideles, *ut sobrie*, etc.

3. *et argue*: arguam eos qui contradicunt; defendam, si opus est, meo sanguine, veram Christi doctrinam.

4. *cum omni imperio*: utar igitur omni qua gaudeo auctoritate, sive ex dignitate clericali, sive ex munere meo, ad promovendam salutem animarum, non vero ad quemcumque finem temporalem.

5. *nemo te contemnat* (cf. v. 5, 8, 10): sic

me geram, exemplum dando, ut nullus audeat me despicere.

COLLOQUIUM: cum Jesu in praesepio. Laetus, gratus repetam tesseram meam. Offeram meipsum. Firmiter proponam. Quod meditatus sum, laetabundus repetam: »Se nascens dedit socium, convescens in edulium, Se moriens in pretium, Se regnans dat in praemium."

Meditatio 57.

Tit. 3, 1—7.

I. De modo agendi erga non-Christianos.

1 Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse: 2 neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

II. motiva ita agendi.

3 Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. 4 Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei; 5 non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, 6 quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum: 7 ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.

Praeludium 1: excitabo me ad imitandam Dei benignitatem. »Benignitas est habitus voluntarie benefactivus": 2. 2. q. 80. ad 4. »Dicuntur

enim benigni quos bonus ignis amoris fervere facit ad benefaciendum proximis": 1, 2. q. 70. a. 3.

PRAELUDIUM 2: audiam Cor Jesu, e praesepio et e cruce clamans: *omnes sitientes venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac* (*Is. 60, 1*).

PRAELUDIUM 3: petam a Jesu et Maria ut ad eorum exemplar excellam benignitate.

TESSERA: *quoniam Tu, Domine, suavis* (= benignus) *et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus Te* (*ps. 85, 5*).

I. De modo agendi erga non-Christianos (n. 1 et 2).

1. In memoriam revocabo, agi hic primo quomodo se gerere debeant erga praepositos civiles; secundo erga omnes non-Christianos in genere.

2. Considerabo: quoad primum: *a.* »non eripit mortalia, qui regna dat coelestia" (Hymn. 1 vesp. Epiph.); *b.* tria commendari (sec. S. Thom. in h.l.): reverentiam subjectionis (*subditos esse*), obedientiam jussionis (dicto obedire): primum denotat statum, alterum actus; tandem: cordis et animi praeparationem (paratos esse); et quidem *ad omne opus bonum*, non ad malum.

Quoad secundum: *a.* vetantur: offendere,

litigare: alterum est occasio proxima prioris. *b.* commendantur: modestia, qua moderantur verba, gesta, et omnes relationes cum non-Christianis; dein: *omnis* mansuetudo *ad omnes homines*. Et ipsa mansuetudo jam plus dicit quam modestia.

3. Examinabo me circa verba, actus et gestus meos, utrum sint plena moderamine.

II. Motiva ita agendi (v. 3—7).

1. In memoriam revocabo sex enumerari vel distingui posse motiva ad benigne agendum erga non-Christianos: sunt: *a.* noster pristinus status; *b.* benignitas Dei; *c.* salus nobis facta sine nostro merito, *d.* salus nobis facta regeneratione a Spiritu Sancto effecta, *e.* imo, ipse Spiritus Sanctus in nos effusus *abunde*, *f.* haereditas vitae aeternae.

2 et 3. Singula considerabo: *a. et nos* quamvis electi; *insipientes*, non cognoscentes Deum sicut debebamus Eum cognoscere ex natura creata; *increduli* voci Dei loquenti per naturam, per conscientiam, per historiam; *errantes:* ad perditionem; *servientes desideriis et voluptatibus variis:* servi, mancipia diaboli: etc. *Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me* (*ps. 50, 5*). . . . Et si haec omnia non fui, nonne majus beneficium Dei? Nonne vero major dignitas mea quam aliorum?

b. Benignitas et humanitas Dei: apparet

ex 5 (Lessius): 1. quia ex infinita propensione ad benefaciendum condidit Angelos et homines; 2. perditis hominibus misit Filium in mortem; 3. Filium reassumens cum humanitate in caelum, tamen etiam reliquit in Eucharistia; 4. »quia peccatores etsi saepius relapsos, non solum sustinet patienter, non puniendo; sed et aversos revocat et invitat ad poenitentiam; semper paratus eos in gratiam recipere, si velint redire; redeuntes non dure excipit, nec improperat pristinam ingratitudinem, sed benigne amplectitur tamquam carissimos filios, eosque in pristinum gradum filiorum restituit" (id.); 5. »quia nihil requirit a nobis quod vires nostras superet; sed omnia facilia, et etiam menti bene compositae jucunda: *jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Mt. 11, 30*). *Et Tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia suavis* (*benigna*) *est misericordia tua* (*ps. 108, 21*); *suavis* (benignus) *Dominus universis: et miserationes Ejus super omnia opera Ejus* (*ps. 144, 9*); *gustate, et videte quoniam suavis* (benignus) *est Dominus: beatus vir, qui sperat in Eo* (*ps. 33, 9*) (id.).

c. Quia: primo ne de congruo quidem meritus sum primam gratiam actualem; secundo nec de condigno primam gratiam sanctificantem. — *Quid retribuam Domino?* Omnibus benignus ero.

d. Gratias agam pro Baptismo, et *e.* pro

Confirmatione; Is. 44, 1—5: *et nunc audi Jacob serve meus, et Israël quem elegi: haec dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus: noli timere serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta praeterfluentes aquas. Iste dicet: Domini ego sum: et ille vocabit in nomine Jacob: et hic scribet manu sua: Domino: et in nomine Israel assimilabitur.*

f. »Haec est perfectio et consummatio sanctorum, et vita aeterna, unum cum Deo per vim amoris effici" (Lessius l. 9 de Perf. c. 5).

Colloquium: cum Sanctissima Trinitate, hisce versibus formaliter expressa. *(v. 4: Salvatoris nostri Dei, v. 5: Spiritus Sancti, v. 6: Jesum Christum, Salvatorem nostrum).* Gratias agam — imitari proponam benignitatem — statuam occasiones — petam auxilium.

Meditatio 58.

Tit. 3, 8—15.

I. Tria praecepta,

8 Fidelis sermo est: et de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus praeesse qui credunt Deo. Haec sunt bona et utilia hominibus. 9 Stultas autem quaestiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita; sunt enim inutiles, et vanae. 10 Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita: 11 sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

II. tria negotia commissa.

12 Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hiemare.

13 Zenam legis peritum, et Apollo sollicite praemitte, ut nihil illis desit. 14 Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. 15 Salutant te qui mecum sunt omnes: saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

Praeludium 1: excitabo me ad facienda ea, quae alios debeo docere: maxime quidem *praeesse bonis operibus.*

PRAELUDIUM 2: audiam divinum Magistrum, dicentem mihi: *fili mi, ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum, et annos vitae, et pacem apponent tibi. Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui: et invenies gratiam, et disciplinam bonam, coram Deo et hominibus (Prov. 3, 1—4).*

PRAELUDIUM 3: petam id quod volo: *praeese bonis operibus.*

TESSERA: »ut cuncta nostra oratio et operatio a Te semper incipiat, et per Te coepta finiatur."

I. Cria praecepta (v. 8—11).

1. In memoriam revocabo: *a.* Titum debere ea, quae allegavit S. Paulus ut motiva benignitatis, utpote summas veritates, inculcare hominibus; *b.* prorsus abstinere a vanis doctrinis; *c.* erga haereticos agere sicut Christus praescripsit Mt. 18, 15 sqq.

2. Considerabo motiva: quoad *a.* quia hae veritates excitant ad opera bona facienda, ideoque sunt bonae, appetibiles; et utiles quia media ad non amittendam haereditatem promissam; quoad *b.* quia istae doctrinae (v. 9) sunt *inutiles*; quoad *c.* quia Christus hoc statuit.

3. Examinabo me: *a.* num bona mea opera faciam ex principiis fidei; *b.* num tempus

tribuam vanis, inutilibus occupationibus; *c.* num quemquam, sive mente sive voce damnem antequam damnatus sit ab Ecclesia.

II. Cria negotia commissa (v. 12—15).

1. In memoriam revocabo: *a.* Tito adire non licere Paulum, quin prius alius advenerit, »ne populus Christi sit sicut oves sine pastore" (Dion. Carth.); *b.* Zenam et Apollo necessariis omnibus rite instruendos esse; *c.* salutationes et vota vice versa non omittenda esse.

2. Considerabo: *a.* quanto beneficio gaudeant Christiani in iis regionibus, ubi hierarchica institutio viget, et abundant operarii boni in vinea Domini; *b.* »Dices mihi, o Tite, te pauperem esse, nec posse eis providere de omnibus necessariis ad iter. Respondeo, adi nostros fideles, doce illos caritatem hanc in Dei ministros et apostolos exercere, ut discant ipsi non tantum per doctrinam, sed etiam per experientiam et praxin, bonis operibus et eleemosynis tam necessariis, tam dignis, et sanctis praeesse, et in suos magistros esse liberales et munifici" (Corn. a Lap.); *c.* Judaeorum salutationem, quam Christus secutus est, fuisse: *pax vobis*; Apostolorum vero: *gratia* vel *gratia et pax vobis* (Rom. 1, 7), eo quod gratiae per Christum allatae praecones essent.

3. Examinabo me, utrum excellam bonis operibus zeli, misericordiae, caritatis fraternae.

Ego debeo exemplum esse, et Apostolus vult »Christianos ita studere et incumbere bonis operibus, praesertim eleemosynae et beneficientiae, ut iis quasi duces et praefecti praesint, perinde in castris quis dicitur *praeesse* annonae, frumento, tormentis. Sicut enim hujus est, ne quid iis in rebus desit, ita Christianorum est curare, ne cui aliquid desit, ut pauperum petitionem non exspectent, sed requirant et sua eleemosyna praeveniant (Corn. a Lap.)".

COLLOQUIUM: petam a bono Jesu, ut numquam opere obliviscar hanc regulam: *noli prohibere benefacere eum, qui potest (gr. cui debes): si vales et ipse benefac. Ne dicas amico tuo* (omni homini petenti a te auxilium spirituale vel temporale): *vade, et revertere: cras dabo tibi, cum statim possis dare* (*Prov. 3, 27, 28*).

Meditatio 59.

Philem. 1—7.

I. Salutatio. 1 Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater Philemoni dilecto, et adjutori nostro, 2 et Appiae sorori carissimae, et Archippo commilitoni nostro, et ecclesiae quae in domo tua est. 3 Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

II. Exordium. 4 Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, 5 audiens caritatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos: 6 ut communicatio fidei tuae evidens fiat, in agnitione omnis operis boni quod est in vobis in Christo Jesu. 7 Gaudium enim magnum habui, et consolationem in caritate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.

Praeludium 1: singula verba primae et secundae partis hujus epistolae attente considerabo, ut motivis exinde haustis efficaciter excitem meipsum ad caritatem erga proximum.

Praeludium 2: videbo S. Paulum, Romae in vinculis, anno 62, cum venit ad eum

Onesimus quidam, ei ignotus, qui ei narrat se esse servum Philemonis Colossensis, a quo furto facto aufugerat. Videbo, quomodo, Onesimo converso ad Christum, S. Paulus, postquam locutus est hac de re cum Timotheo, scribat Philemoni, quem optime noverat utpote ejus discipulum (v. 19) et adjutorem (v. 1), ad impetrandam Onesimo gratiam; et ita scribat »ut vix unum in tota hac Epistola reperias verbulum, quod Philemonis animum ad misericordiam Onesimo faciendam non determinet" (B. a. Pic.).

Praeludium 3: petam a Maria et a Jesu, qui tantopere amant omnes homines, etiam vilissimos, ut eos imiter.

Tessera: »Cor Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui." (100 d.)

I. Salutatio (v. 1—3).

Paulus, quem noveris tuum magistrum, patrem, amicum. — Nunc ad me loquitur Jesus, meus Magister, Pater, Amicus, Victima . . .

Vinctus Jesu Christi: extendit ad te manus suas vinctas, ut petat a te aliquid. — Sic Jesus vinctus speciebus panis et vini petit a me aliquid . . . . Vinctus est S. Paulus propter Jesum, Jesus vinctus est propter me et omnes homines . . . .

Et Timotheus: non ego solus peto, sed ambo petimus; diximus unus ad alterum:

scribamus Philemoni, sine dubio satisfaciet nobis petentibus .... qui mecum petit, est *frater*, et quidem *in Christo:* sic me rogant cum Christo Maria et omnes Sancti et omnes Angeli custodes, ut abundem caritate. *Philemoni dilecto*: precamur te per nostram mutuam amicitiam: sic Jesus, quando mox intraverit cor meum, rogabit me, ut, per nostram amicitiam, alios juvem ....

et adjutori nostro: agnosco, laudo opera tua erga nos: tam saepe adjuvisti, juva iterum ...

2. *Et Appiae sorori carissimae:* dirigo me etiam ad uxorem tuam, cui nihil denegare potes: Jesus dirigit se ad animam meam .... *et Archippo commilitoni nostro*, vobis familiari: Jesus dirigit se ad vires meas .... *et Ecclesiae quae in domo tua est*: etiam Christianos, qui in domum tuam convenire solent, deprecatores adscisco: isti omnes scient me ad te scripsisse, nonne indulgebis petitioni meae? — Recolam argumenta, quibus Jesus me adducit ad caritatem erga proximum: exemplum suum, explicitam exhortationem suam, electionem meam ad statum clericalem.

3. *Gratia vobis*: causa pacis, *et pax*, effectus gratiae, per me in conversione vestra vobis allata *a Deo Patre nostro*, cujus filii nos sumus, *et Domino Jesu Christi*, cujus fratres nos sumus. — Recapitulando tria motiva ad caritatem excitantia, refovebo amorem gratitudinis erga Jesum Christum, considerans

innumeras esse personas quae me alliciunt; neque gratiam et pacem mihi pro me solo esse datam. Quomodo caritatem colo cogitatione .... verbo .... opere? ....

II. Exordium (v. 4—7).

4. *Gratias ago Deo meo semper*: tanta est caritas tua. — O! quantopere gratias mihi agent, si non in terra, saltem in caelo, illi quos ad Deum adduxi!

memoriam tui faciens in orationibus meis: qui pro Philemone Deum precatur, nunc pro Onesimo Philemonem implorat. — Quot erunt, qui orabunt pro me, si caritate eos ad Deum adduxi!

5. *audiens caritatem tuam .... in omnes sanctos*: bona fama tuae caritatis pervulgata est ad me; quid mirum si ad tantam caritatem confugio? — Etiam Onesimus, quia conversus, jam inter sanctos est.

et fidem quam habes in Domino Jesu: huic enim fundamento niti debet caritas ....

6. *ut communicatio fidei tuae evidens* (gr. efficax) *fiat*: finis meae precationis est ut fides, quam cum Christianis communem habes, magis ac magis evidens et efficax fiat: *in agnitione omnis operis boni*: per usum et patefactionem omnium bonorum operum, quae fiunt a vobis per Jesu gratiam: *quod est in vobis in Christo Jesu*: (gr. in Christum Jesum sc. tendens).

Omne opus bonum, sicut per Jesum fit, pro Jesu fiat.

7. *Gaudium enim magnum habui*: sic Angeli gaudebunt . . . .

et consolationem: sic et ego possum consolari adhuc Cor Jesu . . . .

in caritate tua: *quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater*: »quia tu corda christianorum, indigentia perturbata, requiescere fecisti, quando eos afflictos misericorditer refocillasti" (V. St.). — Hoc et ego debeo facere tum corporaliter, sed maxime spiritualiter. *Frater*: vere tunc ero frater.

Recapitulando recolam tria iterum motiva: praemium gratiarum actionis, laudis, partim a Deo, partim ab Angelis et Sanctis obtinendum; bonum exemplum quod dare debo caritatis, quae fundatur in fide; gaudium et consolationem quam causare possum Cordi Jesu.

Colloquium: petam ut Cor Jesu me doceat quid desit caritati meae. Adibo Mariam.

Meditatio 60.

Philem. 8—16.

I. Transitio,

8 Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: 9 propter caritatem magis obsecro, cum sis (gr. sim) talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi:

II. propositio et 4 motiva.

10 Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, 11 qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, 12 quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe: 13 quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii: 14 sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

III. speciale motivum.

15 Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes: 16 jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi; quanto autem magis tibi, et in carne et in Domino?

PRAELUDIUM 1: meditabor tertiam partem hujus epistolae, sive ejus corpus.

PRAELUDIUM 2: videbo Onesimum, fervidum factum Christianum, servientem jam ex principiis fidei et caritatis Sancto Paulo. Tum videbo, quomodo Onesimus post amplexus et „vale" dictum, cum Tychico, qui epistolas ad Colossenses et ad Ephesios deferebat, a S. Paulo remittatur ad Philemonem.

PRAELUDIUM 3: petam S. Pauli caritatem, ingeniosam, humilem, teneram, confidentem.

TESSERA: *pusillum et magnum Ipse fecit et aequaliter cura est Illi de omnibus* (*Sap. 6, 8*).

I. Transitio (v. 8 et 9).

1. In memoriam revocabo quid dicat Apostolus: cum ergo tanta sit tua caritas, o Philemon, quamvis, ut Apostolus et legatus Christi, jus habeam libere et audacter tibi imperandi quod officii tui est, nempe ut servo poenitenti parcas, potius tamen obsecro ut amicus propter caritatem qua te diligo et tu me diligis, nam ego sum *Paulus*, et quidem *senex*, imo *vinctus Jesu Christi*.

2. Considerabo quomodo humilitas juvet caritatem. Noli, clerice, urgere jura tua. *Caritas .... non inflatur, non est ambitiosa.* (*1 Cor. 13, 4 et 5*).

3. Examinabo me, num forte arrogantia,

severitate mercenario magis quam bono pastori similis fuerim.

II. Propositio et quattuor motiva (v. 10—14).

1. Primo in memoriam revocabo versiculum decimum ad litteram; dein, quattuor motiva; brevi sic: *a.* jam utilis est; *b.* mihi carissimus; *c.* mihi utilissimus; *d.* remissio tantum fit ex caritate et reverentia tui.

2. Considerabo: *a.* singula verba versiculi decimi, cur haec verba electa, cur hoc ordine, cur ipsa tandem indicatio personae, per nomen proprium, fiat ultimo loco .... et admirabor teneritudinem caritatis Pauli. »Tenetur in carcere, vinculis stringitur; squalore corporis, carorum separatione, poenalibus tenebris coarctatur; et non sentit injuriam, non dolore cruciatur, non novit aliud nisi de Christi Evangelio cogitare; sciebat servum, sciebat fugitivum, sciebat raptorem; et hunc tamen in carcere docet, catechizat, convertit, baptizat, et quasi filii loco habet" (Corn. a Lap. ex S. Hier). *b.* quattuor motiva sic proponi ut probet Apostolus, Onesimo »non tantum veniam dandam, sed et honorandum: est enim Pauli filius et cor . . . Disce hinc oculis fidei homines intueri" .... (Bern. a. Pic.).

3. O si Jesum melius, ferventius amarem! Paulus senex, ego juvenis! Paulus vinctus, ego liber! quam fervidus ille! quam frigidus ego!

III. Speciale motivum (v. 15 et 16).

1. Specialem rationem petit ab Onesimi conversione, cujus occasio fuit illius fuga.

2. Considerabo tristitiam Philemonis ob fugam servi, tum propter proprium damnum temporale, tum maxime ob damnum spirituale servi qui antequam fidem veram amplexus erat, aufugerat e domo christiana. Admirabor dein Providentiam divinam, persequentem illam ovem perditam, eumque reducentem ad Philemonem, *jam non ut servum*, sed ut *fratrem* spiritualem, et quidem *carissimum*, a quo èt temporalia èt spiritualia commoda exspectare potest!

3. Faciam, quod in me est, ut omnibus sim omnia, prudenter quidem, sed cum magna fiducia, etiamsi non videam successum: *tua autem, Pater, providentia gubernat* (*Sap*, *14*, *3*).

Colloquium: cum Maria et Jesu, quorum caritas fuit et est tam ingeniosa, humilis, fervida, confidens.

Meditatio 61.

Philem. 17—25.

I. Conclusio et confirmatio.

17 Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me: 18 si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. 19 Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes: 20 ita frater. Ego te fruar in Domino: refice viscera mea in Domino. 21 Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico facies.

II. laetus nuntius,

22 Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.

III. salutationes.

23 Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, 24 Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adjutores mei. 25 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

Praeludium 1: considerabo singulos versiculos conclusionis, sive quartae partis epistolae, reflectendo in meipsum »ut aliquem fructum capiam" (S. Ign. Ex. Sp. 2ª h. 1ª contempl.).

Praeludium 2: videbo Tychicum tradentem epistolam Philemoni, dein Philemonem legen-

tem non sine magna consolatione eamque legendam tradentem, vel praelegentem Appiae, et Archippo et Christianis; audiam eum rogantem ubi sit Onesimus; videbo Onesimum intrantem et ab omnibus mox acceptum ut fratrem et socium; videbo gaudium magnum in tota domo, illudque causatum a tenera caritate Sancti Pauli.

PRAELUDIUM 3: petam ut magis intelligam et induam characteres apostolicae caritatis.

TESSERA: *quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum* (*ps. 102, 13 et 14*).

I. Conclusio et confirmatio (v. 17—21).

v. 17: caritas apostolica assimilat se ei quem salvare vult. Sic Filius Dei homo factus est .... et dixit: *amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratibus meis minimis, mihi fecistis* (*Mt. 25, 40*).

v. 18: caritas apostolica libenter debitum solvit, et minus jucunda sibi assumit. Sic Jesus nostrum debitum solvit, et jugum nobis impositum leve effecit .... quid ego faciam?

v. 19: caritas apostolica sponsor manet, non relaxat curam .... caritas apostolica non urget suum jus, nisi quando hoc juvat ad aliis benefaciendum ....

v. 20: caritas apostolica gaudet in bono

alterius .... non gaudet nisi *in Domino* .... dulcissima ei refectio est, quod alios aliis benefacere facit ....

v. 21: caritas apostolica bene cogitat de aliis ....

II. Laetus nuntius (v. 22).

v. 22: caritas apostolica: *a.* aliis non molesta est; *b.* semper sperat; *c.* proprium successum orationibus aliorum ascribit; *d.* ita agit, ut, quo intrat, consideretur ut donum laetum .... quid ego facio? ....

III. Salutationes (v. 23—25).

v. 23: caritas apostolica non negligit quae decent humanam conversationem; gratitudine plena laudat bonum quod alii faciunt ....

v. 24: caritas apostolica ne minima quidem sibi collata bona obliviscitur ....

v. 25: caritas apostolica a Jesu incipit et cum Jesu finit; non sibi sed gratiae omne bonum ascribit; non vana sed gratiam omnibus optat .... Et ego? ....

Colloquium: petam a S. Paulo, ut ardeam ejus caritate apostolica .... dein adibo Cor Mariae ... et tandem Cor Jesu ... bonum propositum offeram.

Meditatio 62.

Introductoria in epistolam ad Hebraeos.

Praeludium 1: considerabo hujus epistolae circumstantias historicas, argumentum, finem practicum; ut bene meditando materiam, ope virtutum fidei, timoris, fiduciae, crescam in amore Jesu Christi, summi sacerdotis nostri.

Praeludium 2: audiam Beatam Mariam Virginem, plenam misericordia mihi dicentem: »Pone totam fiduciam tuam in Deo, et sit ipse timor tuus et amor tuus." (Imit. II. 1, 2).

Praeludium 3: petam ab ipsa Matre mea, ut juvet me ad amovendum ope hujus meditationis, hoc vel illud, quod impedit me in unice amando Jesum Christum ....

Tessera: *copiosa apud eum redemptio* (*ps. 129, 7*).

I. Historia.

1. In memoriam revoco haec: initio anni 62 Festo procuratore mortuo succedit Albinus. Antequam hic in Palestinam venit, Herodes Agrippa amovit Pontificem Joseph Cabi,

ejusque loco creavit Annam, filium illius Annae, coram quo Christus Dominus noster stetit vinctus. Sub illo Anna tamquam violatores Legis lapidati sunt sanctus Jacobus, primus Episcopus Hierosolymitanus et nonnulli ex fratribus. Cum venit Albinus, cessavit caedes, non cessaverunt vexationes (Hebr. 10, 32—34). Anno 64 Agrippa iterum destituit Pontificem a se nuper creatum, et iterum alium creavit. Hunc perversum modum agendi forsan ante oculos habet auctor epistolae scribens: *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aäron* (5, 4). Postquam Agrippa reliquerat urbem Hierosolymam, libertas sceleratorum hominum in dies crescebat. — Hisce tristibus diebus apparet epistola ad Hebraeos Hierosolymitanos, qui primi acceperant Evangelium, ideoque *propter tempus* (5, 12) poterant *magistri esse* (5, 12). *Illuminati magnum certamen* sustinuerunt *passionum: et in altero quidem, opprobriis et tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socii taliter conversantium effecti. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam* (10, 32—34). Sic memores praepositorum suorum (13, 7), sanctorum Stephani et Jacobi, eorum imititati sunt fidem (13, 7). Sed nunc videntur amittere confidentiam (10, 35); eorum pastores videntur esse *gementes* (13, 17), quia circum se non

vident nisi *remissas manus et soluta genua* (12, 12), multos *deserentes collectionem* (10, 25) Christianorum, ut redirent ad Judaeos, allecti horum prosperitate, honore, splendido templi cultu, et putantes legem mosaicam non amisisse suam vim obligativam.

2. Mente revolvo, quid S. Paulus, de his omnibus certior factus, sentire debuerit. »Quid mirum, ait S. Jo. Chrys., si ille, qui anathema esse pro incredulis Judaeis volebat, et de conversis ad fidem tam erat sollicitus, ut ad eos proficisci et eorum necessitates lenire non dubitaret, nunc eos litteris exhortetur et consoletur, et cadentes admonitionibus suis confortet?"

3. Num et ego, sicut Paulus, sicut Christus, sicut Pater aeternus, omnibus praesto sum? ut omnes juvem? num et ego omnibus et singulis habeo *viscera misericordiae* (Luc. 1, 78)?

II. Argumentum.

1. Israël sibi vindicabat tres titulos gloriae: primo locutionem Dei per angelos ad patriarchas et prophetas; secundo legem mosaïcam; tertio templum et sacrificia. Eosdem titulos, eosque infinito gradu praestantiores sibi vindicat oeconomia nova: primo locutionem Dei per Filium suum (c. 1); secundo legem perfectam Christi (c. 3); tertio sacrificium divinum (c. 4—10).

2. Mente et cogitatione perpendam hoc: Deus vult creaturas propter gloriam suam externam. Haec voluntas est irresistibilis. De hac voluntate procedit Incarnatio Verbi Dei, ad quam tota vetus oeconomia non fuit nisi praeparatio et via. Jesus Christus est centrum gloriae externae. Ad hanc gloriam immolatur in cruce. Ad hanc gloriam instituit Ecclesiam, novam oeconomiam. Ad hanc gloriam *omnes homines vult salvos fieri* (1 Tim. 2, 4). Ad hanc gloriam *haec est .... voluntas Dei, sanctificatio vestra* (1 Thess. 4, 3). Ad hanc gloriam *misericordia* (Eius) *subsequeter me omnibus diebus vitae meae*. (ps. 22, 6). Voluntas gloriae Ejus externae est lex nostra, dupliciter sancita, caelo et inferno. Ex eadem voluntate procedit, tum: *Venite, benedicti* .... tum: *Discedite a me, maledicti* .... — Qui haec meditatur, sentit in se duplicem affectum, alterum qui stringit, timoris, alterum qui dilatat, fiduciae.

3. Excitabo me ad augmentum timoris et et fiduciae, eliciendo frequentes actus.

III. Finis practicus.

1. Memoria tenebo: totam epistolam esse adhortationem ad conservandam fidem, ex sancto timore et ex pia fiducia.

2. Ad fovendam hanc fidem, hunc timorem, hanc fiduciam, magnopere confert assidua

consideratio Jesu Christi, qui nobis proponetur in epistola ut heres universorum (1, 2), splendor gloriae, figura substantiae Dei (1, 3), Filius Dei (1, 4), Dominus (2, 3), Jesus (2, 9), frater noster (2, 11), misericors et fidelis Pontifex (2, 17), Apostolus et Pontifex confessionis nostrae (3, 1), Christus (3, 6), Pontifex iuxta ordinem Melchisedech (5, 10), Filius in aeternum perfectus (7, 28), Sanctorum minister (8, 2), mediator melioris testamenti (8, 6), Pontifex futurorum bonorum (9, 11), auctor et consummator fidei (12, 2), Pastor magnus ovium (13, 20).

3. En novas litanias Jesu Christi, scaturientes fontibus affectuum, tum timoris, recogitando quis sit quem offenderim peccando, tum fiduciae, rocogitando quis sit, cui inhaeream.

COLLOQUIUM: cum Maria et cum Jesu. Confide, et roga quodcumque desideras.

Meditatio 63.

Hebr. caput 1.

I. Providentia Dei,

1 Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime 2 diebus istis locutus est nobis in Filio,

II. Excellentia Filii Dei; enumeratione titulorum,

quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula; 3 qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis:

III. et comparatione cum Angelis.

4 tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit. 5 Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es Tu, ego hodie genui Te. Et rursum: Ego ero Illi in patrem, et Ipse erit Mihi in filium. 6 Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent Eum omnes angeli Dei. 7 Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. 8 Ad Filium autem: Thronus tuus Deus, in saeculum saeculi: virga aequitatis, virga regni tui. 9 Dilexisti justitiam, et

odisti iniquitatem: propterea unxit Te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis prae participibus tuis. [10] Et: Tu in principio Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt caeli. [11] Ipsi peribunt, Tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent: [12] et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. [13] Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? [14] Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis?

PRAELUDIUM 1: meditabor de providentia Dei et de excellentia Filii Dei.

PRAELUDIUM 2: videbo seriem prophetarum dicentium *Haec dicit Dominus*... terminantem in Jesu Christo dicente: *Ego autem dico vobis*.

PRAELUDIUM 3: rogabo per Beatam Mariam Virginem augmentum fiduciae et amoris et tamquam fructum specialem .... (v. g. tranquillitatem in minus jucundis, frequentem recordationem praesentiae angeli custodis, etc.).

TESSERA: *Tu autem permanebis* (v. 11).

I. Providentia Dei (v. 1 et 2a).

1. Percurram seriem prophetarum ab Abraham usque ad Mariam, Matrem Jesu apud Elisabeth, et Zachariam et Joannem Baptistam. Videbo

quomodo successive creverit divinae cognitionis augmentum, per somnia, extases, apparitiones, oracula, tandem per veram rei praesentiam, per veritatem ipsam visibilem factam in Incarnatione Verbi.

2. Admirabor providentiam Dei in eligendis personis, mediis, circumstantiis.... etiam cursu vitae meae totiens manifestatam.

3. *Dominus regit me et nihil mihi deerit* (*ps. 22, 1*).

II. Excellentia Filii Dei; enumeratione titulorum (v. 2b et 3).

1. Ut est Deus: Filius Dei — *per quem fecit et saecula — splendor gloriae — figura substantiae Eius — portans omnia verbo virtutis suae.*

Ut est homo: *quem constituit heredem universorum — purgationem peccatorum faciens — sedens ad dexteram majestatis in excelsis.*

2. Quot argumenta fiduciae et amoris!

3. Domine Jesu, tu pars hereditatis mihi!

III. Excellentia Filii Dei; comparatione cum Angelis (v. 4—14).

1. Superat nomine: Filius Dei — Angeli; origine: Filius a Patre solo, non factus, nec creatus, sed genitus — Angeli creati,

finiti; d o m i n i o: Filio thronus, virga, unctio — Angeli ministri; p o t e n t i a: Filius fundans terram, aeternus, immutabilis — Angeli nil sine Eo; h o n o r e: sedens a dextris Dei — Angeli, in ministerium hominum missi.

2. Quid sum ego in comparatione unius Angeli .... omnium Angelorum milium!

3. Cur tam saepe quaero aliquid praeter Jesum tam excellentem?

Colloquium: invitabo Angelum meum custodem ad laudandum et amandum mecum Dominum Jesum, Eique gratias agendum eo quod et ego gratia Dei sum aliquomodo filius Dei per gratiam sanctificantem, possidens terram per exercitium misericordiae secundum exemplum Salvatoris, potens per fidem, in honore propter statum clericalem. — Dein adibo Matrem meam Mariam, quae similior Filio Dei et suo super omnes Angelos, et tamen infinite inferior est Ei, utpote Deo. O Maria! monstra te esse Matrem et curam habe ut hodie in me, filio tuo adoptivo augeantur amor et fiducia in Filio tuo unigenito, per fructum specialem....

Meditatio 64.

Hebr. 2, 1—4.

I. Recapitulatio prioris meditationis.

1 Proptera abundantius oportet observare nos ea quae audivimus, ne forte pereffluamus.

II. Multum quaesitum est ab aliis,

2 Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem:

III. plura quaerentur a me.

3 Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

Praeludium 1: penitus infigam in mentem meam hanc veritatem: *cui multum datum est, multum quaeretur ab eo* (Luc. 12, 48).

Praeludium 2: visu imaginationis aspiciam bonum Salvatorem meum, illa verba dicentem et ad me respicientem sicut respexit ad divitem juvenem quem amabat.

PRAELUDIUM 3: rogabo per Beatam Mariam Virginem horrorem etiam minimi peccati deliberati, praecipue huius....

TESSERA: Mi Jesu, misericordia! (100 d. t. q.).

I. Recapitulatio prioris meditationis (v. 1).

1. Quamvis Deus potuisset etiam in nobis docendis vel uti ministerio Angelorum sibi adstantium atque fulgura vibrantium, sicut in Sinaï, vel per angelos, Dei vicem gerentes, ad nos loqui, tamen abundantius nobis providit dans seipsum in Filio, qui nobis factus est Doctor, in quo Pater *locutus est nobis;* Salvator, *purgationem peccatorum faciens;* Rex *ad dexteram majestatis in excelsis.*

2. Considerabo, quantopere debeam *abundantius observare* ea quae audivi ab Ecclesia, a gubernatore animae meae, a voce interna.

3. Enixe rogabo Dominum Jesum, ut potius moriar quam spiritualiter pereffluam ut aqua et peream, vel ut vas, rimarum plenum, amittam omnia mihi data, vel ut navigator imperitus a portu vero deerrem.

II. Multum quaesitum est ab aliis (v. 2).

1. Recolam, quomodo lex vetus confirmata sit a Deo fulgoribus, terrae motu, fumo, tonitruis et maxime terribili praevaricantium vindicta: quomodo puniti sint Israelitae cum adorarent vitulum (Exod. 32, 28), cum fornicati

sint cum filiabus Moab (Num. 25, 4 et 9), cum Sabbatum violarent (Num. 15, 35), etc.

2. Nonne si sanctio legis est terribilis, eo ipso est beneficium, propter debilitatem et defectibilitatem hominis?

3. Adorabo Providentiam Dei elucentem etiam in miseriis mundi.

III. Plura quaerentur a me (v. 3 et 4).

1. In memoriam revocabo novum argumentum timoris simul et amoris: non enim solum *Filius datus est nobis* (Is. 9, 6), sed insuper Deus contestatus est abundanter miraculis, i. e. *signis*, quae sunt testimonia divina in confirmationem doctrinae Christi, *portentis*, quae superant vires naturales, *virtutibus*, quae sunt opera omnipotentiae Dei, — *et Spiritus Sancti distributionibus*, i. e. prophetiis aliisque charismatibus seu gratiis gratis datis.

2. Recolam beneficia, quibus quotidie a Filio Dei repleor: magisterio infallibili Ecclesiae, Sacramentis, imprimis Sacrificio Missae et Communione, gratiis externis et internis actualibus, augmento quotidiano gratiae sanctificantis: quae omnia sunt ipsis miraculis praestantiora, utpote supernaturalia quoad ipsam substantiam.

3. Si ego, clericus, negligens, tepidus fiam, quomodo ego effugiam iram Dei tam benefici! *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*

COLLOQUIUM: cum Beata Maria Virgine, quae semper quam perfectissime cooperata est cum gratia, et quae, cum ab Ea multum quaesitum sit, et plura forsan quam ab omnibus hominibus simul, omnia ad amussim reddere potuit. Rogabo augmentum fidelitatis in fungendo officiis meis, ut sic facilius abstineam ab omni peccato deliberato. Memorare, etc.

Meditatio 65.

Hebr. 2, 5—18.

I. Glorificatio Jesu.

5 Non enim angelis subjecit Deus orbem terrae futurum, de quo loquimur. 6 Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quod memor es ejus aut filius hominus quoniam visitas eum? 7 Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria et honore coronasti eum; et constituisti eum super opera manuum tuarum. 8 Omnia subjecisti sub pedibus ejus (ps. 8, 5, 6). In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.

II. Mors Jesu satisfactoria,

9 Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. 10 Decebat enim Eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. 11 Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes.

(Jesus, frater noster; vide pag. 317 ss.)

Propter quam causam non confunditur
fratres eos vocare, dicens: [12] Nuntiabo
nomen tuum fratribus meis: in medio
ecclesiae laudabo Te (ps. 21, 23). [13] Et
iterum: Ego ero fidens in eum. Et
iterum: Ecce ego, et pueri mei, quos
dedit mihi Deus (Is. 8, 17, 18). [14] Quia
ergo pueri communicaverunt carni et
sanguini, et ipse similiter participavit
eisdem:

III. Mors Jesu liberatrix et exemplaris.

ut per mortem destrueret eum qui
habebat mortis imperium, id est, dia-
bolum; [15] et liberaret eos qui timore
mortis per totam vitam obnoxii erant
servituti. [16] Nusquam enim angelos
apprehendit, sed semen Abrahae appre-
hendit. [17] Unde debuit per omnia
fratribus similari, ut misericors fieret,
et fidelis pontifex ad Deum, ut repro-
pitiaret delicta populi. [18] In eo enim,
in quo passus est ipse et tentatus,
potens est et eis qui tentantur, auxiliari.

PRAELUDIUM 1: auctor in corpore epistolae suae: primo extollet Jesum ut Pontificem in munere suo fidelem et misericordem (3, 4—5, 10); secundo morte sua auctorem factum nostrae salutis (5, 11—10, 39); tertio, quam oeconomia vetus dare non potuit (11 et 12). In hoc capite secundo semina spargit, propositionem tripartitam quasi enuntiat sed inverso ordine, et interim argumentando. Ideo cras meditabor, quomodo Dominus Jesus I ad gloriam perve-

nerit, II per mortem satisfactoriam, III liberatricem et exemplarem.

PRAELUDIUM 2: adspiciam cum Maria Matre Jesum in cruce pendentem, meum satisfactorem, liberatorem, exemplar.

PRAELUDIUM 3: enixe rogabo augmentum amoris Jesu, et ut signum amoris mei fructum hunc specialem: . . . .

TESSERA: *Quid est homo quod memor es ejus aut filius hominis, quoniam visitas eum* (*2, 6*)*?*

I. Glorificatio Jesu (v. 5—8).

1. Psalmus 8, 5—7 sic fere loquitur de homine in perfectione creationis considerato: Quid est homo, quod tanta beneficia ei concedis! Fere aequalem Angelis fecisti eum! Gloria et honore coronasti eum, ad imaginem tuam eum creando, supra opera manuum tuarum eum constituendo, omnia sine exceptione subjiciendo sub pedibus ejus! — Quod si verum est de ipsa natura humana, quanto magis de homine ad ordinem supernaturalem elevato, deque Christo Domino, Capite totius generis humani, qui est *melior angelis effectus* (1, 4), et cui *data est omnis potestas in coelo et in terra* (*Mt. 28, 18*).

2. Post tot saecula quo sensu repetere debeo: *nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei*?

3. Quem sentio in me zelum gloriae Dei, zelum animarum? Divinum Cor Jesu, *adveniat regnum tuum!*

II. Mors Jesu satisfactoria (v. 9—11a).

1. Jesus, qui passione mortis meruit gloria et honore coronari, ideo homo factus est, et hoc sensu paulo inferior Angelis, ut per gratuitam Dei bonitatem vice omnium mortem pateretur. Deus utique, omnium principium et finis, potuisset hominem non liberare, vel alio modo liberare, sed, si semel multos, filios suos factos, ad gloriam caelestem ducere voluit, *decebat*, ut eorundem Salvatorem per passionem ad gloriam pervenire faceret. Decet enim pontificem *qui sanctificat*, *et* eos *qui sanctificantur* ab eo, esse ejusdem generis, ab uno eodemque stipite Adami, eiusdem naturae passibilis et mortalis.

2. »O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!"

3. Quomodo ego me mortifico in rebus licitis, ut satisfaciam sive pro meipso, sive pro aliis?

III. Mors Jesu liberatrix et exemplaris (v. 14b—18).

1. Ante oculos meos ponam fructus huius mortis, primo in omnibus hominibus, qui destructa potestate diaboli, jam non moriuntur quasi subiecti ei, *qui habebat mortis imperium*, sed quia assimilari debent Salvatari suo; dein in sanctis martyribus et aliis, qui

omni metu mortis liberati ad gloriam caelestem pervenerunt.

2. Quam potentem habeo auxiliatorem in omnibus tentationibus et tribulationibus!

3. „Domine Deus meus, jam nunc quodcumque mortis genus prout Tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu tua aequo ac libenti animo suscipio." (Post confessionem et communionem recitando hanc orationem cum amore Dei, unusquisque mereri potest plenam indulgentiam pro hora mortis. Pius X. 9 Mart. 1904).

COLLOQUIUM: Cum Maria gratias agam Jesu pro morte Ejus, Patri pro glorificatione Jesu, et pro tanto Salvatore nobis dato. *Quid est homo*, etc. »Sume, Domine, et suscipe omnem meam libertatem, meam memoriam, meum intellectum, et omnem voluntatem meam, quidquid habeo et possideo: Tu mihi haec omnia dedisti, Tibi, Domine, ea restituo; omnia tua sunt, dispone de illis pro omni voluntate tua. Da mihi tuum amorem et gratiam, nam haec mihi sufficit." (S. Ignatius in Ex. Sp.)

Meditatio 66.

Hebr. 2, 11b—14a.

PRAELUDIUM 1: Jesus Christus est frater meus.

PRAELUDIUM 2: Videbo visu imaginationis Jesum post resurrectionem, vulneribus in manibus, pedibus, pectore relictis, apparentem Mariae Magdalenae, eique dicentem: *Noli Me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis: ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* (Jo. 20, 17).

PRAELUDIUM 3: Rogabo Matrem meam Mariam, ut crescam in amore Jesu, Filii ejus, Fratris mei, et hunc amorem crescentem ostendam hac vel illa victoria, hoc vel illo opere. . . .

TESSERA: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat?* (*Cant*, *8*, *1*) i. e.: Utinam esses frater meus, frater meus uterinus! Tum si foris obviam tibi venirem, liceret mihi Te amplecti, et nec Tu, nec quis alius me despiceret! —

Sic queritur anima naturaliter Christiana, cognoscens et amans Deum, nec valens coniungi sicut vult. Incarnatione sua Verbum Dei istud desiderium implevit.

I. Jesus frater meus vaticiniis praedictus.

1. Christus est homo, filius Adam: ex uno Adamo èt Salvator èt omnes salvandi; et hoc sensu vere frater noster. Quod auctor illustrat tribus sacrae Scripturae Veteris Testamenti locis, qui a lectoribus agnoscuntur ut messiani. Ore scilicet psalmistae vocat nos fratres suos; ore Isaiae — qui Ejus typus erat — tum confidentiam in Deum exprimit, quae humanae naturae competit, tum nos vocat »pueros" suos — quae vox communem quoque originem indicare videtur — et pueros sibi a Deo datos, ut sit »auctor salutis eorum" (2, 10). *Omne quod dat mihi Pater, ad Me veniet: et eum qui venit ad Me, non ejiciam foras* (Jo. 6, 37).

2. Quam bonus frater, qui communicat fratribus primo veritatem et Dei cognitionem: *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo Te* (*2, 12*); secundo confidentiam in Deo: *Ego ero fidens in Eum* (2, 13) — *Confidite, ego vici mundum* (*Jo. 16, 33*). — Ipsi inimici ejus testantur de eo: *Confidit in Deo* (Mt. 27, 43); tertio bonum divinum quod est fides et justificatio: *Ecce Ego et pueri mei, quos dedit*

Mihi Deus (*2, 13*). — *Tui erant, et Mihi eos dedisti: et sermonem tuum servaverunt* (*Jo. 17, 6*).

3. Examinabo me circa haec duo: num agam sicut frater Jesu erga ipsum Jesum? erga proximos meos? Proponam hoc .... (Prov. 18, 19. — Eccli. 40, 24. — Malach. 2, 10).

II. Jesus frater meus, in sensu naturali et morali.

1. In sacra Scriptura frater vocatur non solum frater germanus et uterinus, et is qui cum alio ab eodem patre at diversis matribus vel ab eadem matre at diversis patribus est; sed etiam propinquus, ut Lot dicitur frater Abraham; contribulis, sicut maiores natu in Juda a Davide fratres vocantur; is, qui est ex eodem populo, sicut Hebraei fratres Moysis dicuntur; socius, sicut co-exploratores cum Josue et Caleb fratres vocantur; amicus, sicut Jonathas; omnis homo, utpote descendens ab uno protoparente et habens Deum Creatorem et Patrem: sic Christus dixit: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Mt. 5, 22*). — *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui* (*Mt. 7, 3*). Metaphorice sumpto, nomine fratris similitudo supponitur: sic Job clamores suos comparans cum ululatu ferarum dicit: *Frater fui draconum* (Job. 30, 29). — *Qui mollis*

et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis (*Prov. 18, 9*).

2. Attente considerabo quomodo in sensibus enumeratis Jesus Christus mihi sit frater.

3. »Incipiamus, quantum fas est, hic frui dulcissimo Jesu, Ipsum semper in mente, semper in corde, semper in ore gestantes." (S. Bern.).

III. Jesus frater meus, in ordine supernaturali.

1. In sacra Scriptura Novi Testamenti fratres dicuntur, qui eadem fide coniunguntur, praesertim quia ex eadem regeneratione ex aqua et Spiritu Sancto filii Dei facti sunt et semen Dei in se habent. Christus Apostolos et omnes qui in Eum credunt fratres vocat, quia fecit eos justitia sua filios Dei adoptivos et secum cohaeredes gloriae, ita ut ipse sit primogenitus in multis fratribus.

2. Si volo vivere ut frater Christi, debeo facere voluntatem Dei. *Mt. 12, 49: quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est: ipse meus frater....*

3. »Nil canitur suavius, auditur nil jucundius, nil cogitatur dulcius, quam Jesus, Dei Filius."

Colloquium: per hymnum: »Jesu, dulcis memoria", ut hodie amore Jesu sim valde recollectus et modestus.

Meditatio 67.

Hebr. 1 et 2.

Praeludium 1: Cras plenius quam antea comparabo Jesum cum Angelis.

Praeludium 2: visu imaginationis conabor videre per totam meditationem id, quod vidit Isaïas (6, 1—4): *vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et ea quae sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.*

Praeludium 3: rogabo Angelum meum Custodem, ne obliviscar amore amicitiae saepissime praesentem mihi facere Jesum.

Tessera: *Adorate Eum omnes Angeli ejus.* (*ps. 96, 7*).

I. Filius Dei.

1. In memoriam revocabo 1, 5: *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es Tu, Ego hodie genui Te?*

2. Nulli, ne Cherubim quidem nec Seraphim, quamquam illis propria est sapientia et multitudo scientiae, et quamquam haec »ita Deo conjuncta sunt ut inter haec et Deum nulli alii spiritus intersint, — tanto magis ardent, quanto Hunc vicinius vident; quorum profecto flamma amor est . . ." (S. Greg.).

3. Cum Angelis adorabo Filium Dei, et examinabo me circa reverentiam meam externam coram Sanctissimo Sacramento.

II. Victor.

1. In memoriam revoca 1, 13: *ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*

2. Michaël expulit Luciferum e caelo, *angelus Domini . . . . percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia* (*Is. 37, 36*). — Jesus autem vicit infernum totum et mortem, mundum et carnem.

3. Qualis ego sum victor mei ipsius, quando tentatio expellenda, veritas Dei defendenda, frater juvandus, debilis firmandus, mollities excutienda, propria opinio relinquenda est?

III. Rex.

1. In memoriam revoca 2, 5: *non enim Angelis subjecit Deus orbem terrae futurum,* Regnum Messianicum, *de quo loquimur.*

2. Alius Angelus dux hominis, alius protector regionis, alius patronus nationis: Christus Rex orbis terrarum.

3. Num regnat etiam in toto corde meo? An forsan aliqua occupatio, aliquod desiderium, aliquis parvus amor, aliqua opinio cara mihimetipsi reservata est?

IV. Auctor salutis.

1. Christus est auctor *salutis eorum* (v. 10) i. e. hominum, (non angelorum quos *non apprehendit*, non insecutus est, ut lapsos salvos faceret) (2, 16), omnium (v. 9: *pro omnibus*), *per passionem* (v. 10) et *mortem* (v. 9) satisfactoriam (v. 17: *ut repropitiaret* . . . .).

2. Considerabo, quantopere ergo cupiat Christus ut omnes salvi fiant; ut ego me impendam et superimpendam juxta statum meum, ut et ego salvator sim.

3. Divinum Cor Jesu, adveniat regnum tuum, in cor meum, in corda omnium!

Colloqium: cum Regina Angelorum, Matre Jesu, ut merear cum Angelis digne laudare Deum, et super omnia amare Filium Ejus.

Meditatio 68.

Hebr. 3, 1—6.

I. Jesus sicut Moyses Apostolus et Pontifex,

1 Unde fratres sancti, vocationis caelestis participes, considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostrae Jesum: 2 qui fidelis est Ei qui fecit Illum, sicut et Moyses in omni domo Ejus.

II. supra Moysen quia Deus,

3 Amplioris enim gloriae Iste prae Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. 4 Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est.

III. et quia Filius Dei.

5 Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo Ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quae dicenda erant: 6 Christus vero tamquam filius in domo sua: quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus.

Praeludium 1: comparabo Jesum cum Moyse.

Praeludium 2: audiam Matrem Mariam alloquentem nos clericos: *fratres* (ob mutuam caritatem et communionem in Christo), *sancti* (ob Baptismum), *vocationis caelestis* (salutis Christianae, quae venit e caelo et in caelum

conducit) *participes, considerate* (attente inspicite) Filium meum.

PRAELUDIUM 3: rogabo augmentum fidei et fiduciae, ut docilius sequar ductum Jesu, praesertim in hac re ....

TESSERA: *Christus vero tamquam filius in domo sua* (praecipue post sacram Communionem).

I. Jesus sicut Moyses Apostolus et Pontifex (v. 1 et 2).

1. Moyses fuit Apostolus, quatenus a Deo delegatus, fuit populi legislator, propheta, doctor, dux; fuit Pontifex, eminenter saltem, quatenus Deo saepe sacrificavit, Deumque populo reconciliavit, et Aaronem in Pontificem consecravit. Jesus est Apostolus, quem legavit Deus ad homines docendos, primo quidem Hebraeos, dein etiam nos; Pontifex, summus Sacerdos, qui Deum placat oratque pro populo.

2. Quanto ego felicior, quam olim Hebraeus! Audiam iterum Matrem meam: *fratres ... considerate* Filium meum! Et iterum dicere debeo: quanto ego felicior, quam olim fuit Hebraeus!

3. Quot Hebraei (v. g. Moyses ipse, Josue, David, etc.) gratiores fuissent quam ego, si accepissent quod ego accepi! Si saltem et ego non essem *durae cervicis* respectu tot gratiarum et bonarum inspirationum ad vitam quotidianam perfectiorem!

II. Jesus supra Moysen, quia Deus (v. 3 et 4).

1. Ipse Christus, ut Deus est, elegit et constituit domum, id est, populum Israel, cujus dux Moyses. Ergo Moyses tantum pars quaedam domus Dei, dum Jesus est domus conditor et dominus.

2. Quam efficaciter Jesus hoc ostendit, quando post primam ejectionem vendentium e templo *recordati sunt discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit Me* (*Jo. 2, 17*); et quando postea iterum ejiciens vendentes et ementes dixit eis: *Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Mt. 21, 13*).

3. Nonne, si cor meum bene perscrutor, invitare debeo eius Dominum, ut facto flagello de funiculis, ejiciat ex hoc templo Spiritus Sancti tot nugas, tot tantillasque vanitates?

III. Jesus supra Moysen, quia Filius Dei (v. 5 et 6).

1. Moyses testimonium perhibuit verbis Dei, verbis, quae ex parte Dei dicenda erant populo; ergo erat in domo alterius, nempe Dei; pertinebat ad domum, sicut famuli ad familiam. Jesus, tamquam filius familias primogenitus, domui paternae, id est Ecclesiae praepositus est.

2. *Quae* (et cujus) *domus sumus nos:* Ecclesia Dei sumus nos et Christi domus sumus nos per sacram Communionem, per inhabitationem Spiritus sancti, per conformitatem vitae nostrae cum Jesu vita.

3. *Domine, quid me vis facere?* (*Act. 9, 6*) Primo firmiter retinere liberam et intrepidam fidei professionem; secundo firmiter retinere gloriationem et laetitiam quam fiducia nobis procurat.

COLLOQUIUM: instanter petam, primo a sancto Moyse, *in omni domo* Dei fidelissimo (Num. 12, 7), viro mitissimo *supcr omnes homines qui morabantur in terra* (Num 12, 3), dilecto Deo et hominibus, *cujus memoria in benedictione est* (Eccli. 45, 1), cui similis *non surrexit ultra propheta in Israel... quem nosset Dominus facie ad faciem* (*Deut. 34, 10*) — dein a Matre mea, gratia plena — tandem a Salvatore meo ineffabili haec tria: primo majorem fidelitatem in cooperatione cum gratia; secundo majorem zelum in expellendis defectibus; tertio majorem fidem et fiduciam; ut sic melius fiam instrumentum in manu Dei ad ejus gloriam. Pater noster, etc.

Meditatio 69.

Hebr. 3, 7—4, 13.

I. Ps. 94, 8—11,

7 Quapropter [sicut dicit Spiritus sanctus: hodie si vocem Ejus audieritis, 8 nolite obdurare corda vestra, sicut in acerbatione secundum diem tentationis in deserto, 9 ubi tentaverunt Me patres vestri; probaverunt, et viderunt opera mea 10 quadraginta annis: propter quod infensus fui generationi huic et dixi: semper errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas, 11 sicut juravi in ira mea: si introibunt in requiem meam.]

II. accommodatur lectoribus,

12 Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo. 13 Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec »hodie" cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. 14 Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiae Ejus usque ad finem firmum retineamus. 15 Dum dicitur: »hodie si vocem Ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione". 16 Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non

universi qui profecti sunt ex Aegypto per Moysen. 17 Quibus autem »infensus" est quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? 18 Quibus autem juravit non introiri »in requiem" Ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? 19 Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem. 4, 1 Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem Ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. 2 Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quae audierunt.

III. accommodatur jure merito,

3 Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: »sicut juravi in ira mea: si introibunt in requiem meam": et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. 4 Dixit enim in quodam loco (Gen. 2, 2) de die septima sic: et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. 5 Et in isto rursum: si introibunt in requiem meam. 6 Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: 7 iterum terminat diem quemdam, »hodie", in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: hodie si vocem Ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. 8 Nam si eis Jesus requiem praestitisset, numquam de alia loqueretur, posthac, die. 9 Itaque

relinquitur sabbatismus populo Dei. 10 Qui enim ingressus est in requiem Ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. 11 Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

IV. Vis minarum et promissionum Dei.

12 Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. 13 Et non est ulla creatura invisibililis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis Ejus, ad quem nobis sermo.

PRAELUDIUM 1: excitabo meipsum, ut magis ac magis per fidem et spem Jesu Christo adhaeream, triplici argumento: primo (*quapropter*) quia Jesus Angelis et Moysi infinite praestat auctoritate et dignitate; secundo ne, sicut olim Israëlitae in deserto propter incredulitatem perierunt, ita ego peream; tertio ut aliquando introeam in requiem caelestem, sicut olim Israëlitae, si Deo fideles mansissent, in requiem terrae promissae ingressi fuissent.

PRAELUDIUM 2: videbo castra immensa Israëlitarum in deserto, ipsosque ibi manentes per 40 annos, usque dum omnes numerati a 20 annis, numero 600.000 virorum, qui testes fuerant miraculorum in Aegypto, exceptis

Josue et Caleb, propter incredulitatem ab ingressu terrae sanctae exclusi, mortui erant eorumque *cadavera prostrata sunt in deserto.*

PRAELUDIUM 3: petam id quod volo, nimirum: »ne permittas me separari a Te!" (S. Ign.)

TESSERA: *mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam* (*ps. 72, 28*).

I. Ps. 94, 8—11 (3, 7—11).

1. In memoriam revocabo hos 4 versus psalmi.

2. Quamvis quotidie Deus loquitur hominibus per gratias sufficientes quas semper largitur, certis tamen diebus atque momentis peculiari modo vocem suam tollit, quando stat ad ostium cordis et pulsat. Ideo semper attenti esse debemus ad vocem Dei audiendam, quare Ecclesia singulis diebus officium divinum ab isto psalmo exorditur.

3. Quoties simulavi me surdum esse! quoties defectu recollectionis revera non audivi vocem Dei! *Loquere Domine, quia audit servus tuus* (*1 Reg. 1, 10*).

II. Psalmus accommodatur lectoribus (3, 8—4, 2).

1. Jam accommodavi mihi illud »*hodie*", nimirum omne momentum vitae meae in quo accipere possum gratiam Dei; etiam illud »*nolite obdurare corda vestra*", recogitans,

me obdurari et obsurdescere defectu recollectionis, modestiae oculorum. Nunc rogare possum, quae punitio me maneat, si Israëlitae tali modo puniti sunt. *Participes enim Christi effecti sumus*, per gratiam sanctificantem, *haeredes Dei, cohaeredes Christi, divinae consortes naturae.* Tandem: qualis requies me manet, si non defuero?

2. Quam utiliter saepe juvor cogitatione inferni et caeli!

3. *Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui* (*ps. 118, 120*).

III. Accommodatur jure merito (v. 3—11).

1. Requies, quam Psalmista promittit, intelligi nequit de possessione terrae promissae, nam illi Israëlitae tunc non ingressi sunt, et insuper ad illos non dirigit sermonem, quia diu postea scripsit. Ergo requies promittitur caeli in possessione et visione Dei beatifica.

2. Quam parum cogito caelum, et tamen est patria, domus paterna, locus destinationis meae. »Ibi nullus resistet tibi, nemo de te conqueretur, nemo impediet, nihil obviabit: sed cuncta desiderata simul erunt praesentia, totumque affectum tuum reficient, et adimplebunt usque ad summum, ... Ibi voluntas tua una semper mecum, nil cupiet extraneum vel privatum" (Imit. 3, 49, 6).

5. »Ut mentes nostras ad caelestia desideria erigas, Te rogamus audi nos".

IV. Vis minarum et promissionum Dei (v. 12 et 13).

1. Quemadmodum gladius anceps in manu forti se extendit ad ea quae maxime abscondita sunt in homine, ita verbum Dei, minae vel promissio. Et hoc fit propter omniscientiam et ubiquepraesentiam Dei.

2. Quomodo colo ego praesentiam Dei?

3. »Deus videt me!" Nocte, die, in solitudine, in frequentia, quando loquor, cogito: »Deus videt me!"

COLLOQUIUM: cum Matre mea, fiducialiter petendo: »Vitam praesta puram, — Iter para tutum, — Ut videntes Jesum — Semper collaetemur".

Meditatio 70.

Hebr. 4, 14—16.

I. Pontifex magnus,

14 Habentes ergo pontificem magnum qui penetravit coelos, Jesum Filium Dei: teneamus confessionem.

II. misericors,

15 Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

III. sedens a dextris Dei.

16 Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Praeludium 1: habeo Pontificem, id est, qui placat Deum pro me, magnum, misericordem, *sedentem ad dexteram majestatis in excelsis.*

Praeludium 2: ante oculos ponam historiam, et audiam verba inter Moysen et Deum, cum, tabulis fractis, vitulo combusto, Aarone objurgato, idololatris occisis, *facto autem altero die locutus est Moyses ad populum: peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quo modo quivero Eum deprecari pro scelere vestro. Reversusque ad Dominum, ait: obsecro,*

peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti (*Exod. 32, 30—32*).

PRAELUDIUM 3: instanter petam augmentum fiduciae, praecipue in hac re . . .

TESSERA: »Sacrum Cor Jesu, in Te confido." (300 t. q.).

I. Pontifex magnus (v. 14).

1. Magnus: quia major Angelis et Moyse — quia penetravit coelos — quia est Jesus, Salvator mundi — quia est Filius Dei.

2. Fundamentum spei est fides.

3. Num ego sum justus qui fide vivit? *Adauge nobis fidem! — Teneamus confessionem!* Quomodo efficaciter potero pauperes, aegrotos, operarios consolari veritatibus fidei, si ipse non vivo vitam fidei!

II. Pontifex misericors (v. 15).

1. Qui nunc in caelis regnat impassibilis, retinuit vulnera sua. Olim per omne genus tribulationum pertransiit, iisque nobis similis factus est, excepto peccato et exceptis illis effectibus peccati, qui stare non possunt cum sanctitate Dei, nimirum ignorantia et concupiscentia. Si ergo misericors est ille qui habet miserum cor super miseria alterius, quam pronus erit Pontifex noster ad commiseratio-

nem, qui non ignarus malorum miseris succurrere didicit.

2. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Mt. 5, 7*). Applica Jesu et tibi.

3. »Mi Jesu, misericordia!" (100 t.q.). *Domine, ecce quem amas infirmatur* (*Jo. 11, 3*).

III. Pontifex sedens a dextris Dei (v. 16).

1. Omnisciens, omnipotens, qui in ultimo die erit justus judex, nunc sedet a dextris Dei in throno gratiae, ipse qui est Pontifex noster misericors.

2. Nonne misericordia mihi opus est? nonne gratia? praecipue in tentatione, in arduo opere perfectionis secundum statum meum?

3. *Domine, ad quem ibimus?* (*Jo. 6, 69*).

Colloquium: adibo thronum gratiae cum fiducia, et ibi videbo primo inter me et Pontificem meum misericordem Matrem misericordiae. Ab ea petam id, quod volo et recitabo »Memorare" etc. Per Mariam alloquar Jesum. Per Dominum nostrum Jesum Christum surgam et ibo ad Patrem: »Pater noster", etc.

Meditatio 71.

Hebr. 5, 1—10.

I. Pontifex Veteris Testamenti erat homo vocatus.

1 Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: 2 qui condolere possit iis qui ignorant et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: 3 et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. 4 Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aäron.

II. Jesus est Pontifex vocatus.

5 Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad Eum: filius meus es Tu, Ego hodie genui Te. 6 Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

III. Jesus est Pontifex homo.

7 Qui in diebus carnis suae, preces supplicationesque ad Eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. 8 Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, obedientiam: 9 et

consummatus, factus est omnibus obtemperantibus Sibi, causa salutis aeternae,
10 appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech.

PRAELUDIUM 1: considerabo duas proprietates essentiales veri sacerdotis: ut sit naturae humanae et ut sit a Deo vocatus.

PRAELUDIUM 2: vide Jesum in Gethsemane procidentem in faciem suam, orantem et dicentem, iterum atque iterum: *Pater mi, si possibile est, transeat a Me calix iste; verumtamen non sicit Ego volo, sed sicut Tu;* dein confortatum ab Angelo, in agonia factum, prolixius orantem et sudantem sanguinem decurrentem in terram.

PRAELUDIUM 3: instanter petam docilem aptitudinem ad adimplenda omnia officia status mei, speciatim hoc ....

TESSERA: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tuas edoce me* (*ps. 24, 4*).

I. Pontifex Veteris Testamenti (v. 1—4).

1. Deus foedere pacto ad cultum rite exercendum instituit ministros sacros, et quidem tribum Levi, ita, ut Aäron ejusque posteri primogeniti ad pontificale, reliqui, qui e stirpe Aäronitica ortum ducebant, ad sacerdotale, et omnes ex eadem tribu Levi ad munus Levitarum assumerentur.

2. Ergo *pontifex ex hominibus assumptus,*

pro hominibus constituitur. Reminiscar, quomodo tempore Christi et aetate hujus epistolae, pontifices jam constitui solerent ab auctoritate civili Romana, ipsique minime condolerent iis qui ex ignorantia errabant. — Pontificis erat, Deum consulere per sortem, in die expiationis dona incruenta et sacrificia cruenta offerre, res sacras decidere.

3. Num semper in cogitando et agendo persuasum habeo, me esse homuncionem, me esse vocatum? *Non vos Me elegistis, sed Ego elegi vos*. Numquam possum satis humiliter, satis ardenter officio meo fungi. »Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, Te rogamus, audi nos."

II. Jesus, Pontifex vocatus (v. 5 et 6).

1. Ut Pontifex sit Mediator inter Deum et homines, debet ab una parte populum attingere, et ab altera parte ad Deum attingere. Quod ultimum fit electione et Sacramento.

2. Considerabo quomodo haec applicari possint èt Jesu, èt Mariae, ... èt mihi.

3. Num quotidie gratias ago Deo Patri meo pro vocatione mea?

III. Jesus, Pontifex homo (v. 7—10).

1. Cur Pontifex ex hominibus assumi debet? ut sit humanus et misericors, convenit eum esse hominem, miseriis obnoxium.

2. Considerabo quantopere Jesus in tota vita sua, praesertim in horto Gethsemani et in passione sua fuerit miseriis obnoxius, peccata nostra portans. — Et exauditus est propter suam pietatem et subjectionem Deo Patri. Exauditus est, non quod transierit ab Eo calix passionis, sed eo quod placaret Patrem suum. — Tunc expertus est quid sit »obedire"; plenitudinem hujus virtutis exercuit. — Sed duplex fuit gloriosus hujus obedientiae fructus: ipse glorificatus est, et auctor factus est salutis et glorificationis aliorum.

3. Sic et ego, clericus, non nisi per calicem et obedientiam alios salvabo. Quae sunt sensa mea circa obedientiam et patientiam?

COLLOQUIUM: cum Maria, Matre mea, quae ut Mater Summi Sacerdotis, et propter ejus »fiat", in monte Calvarii Sacerdos pariter et Altare fuit. Et ipsa tum homo, tum vocata.

Meditatio 72.

Hebr. 5, 11—6, 8.

I. Lignum viride.

11 De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

II. Sterilitas mea.

12 Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis ut vos doceamini quae sint elementa exordii sermonum Dei: et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. 13 Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiae: parvulus enim est. 14 Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.

III. Primae conditiones fecunditatis.

6, 1 Quapropter intermittentes incohationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, 2 baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum ac resurrectionis mortuorum, et judicii aeterni. 3 Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

IV. Cultura ardua.

4 Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, 5 gustaverunt nihilo-

minus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, 6 et prolapsi sunt; rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.

V. Aut benedictio, aut combustio.

7 Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; 8 proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.

PRAELUDIUM 1: sicut S. Paulus Hebraeos, sic ego meipsum sincere reprehendam propter tarditatem meam spiritualem.

PRAELUDIUM 2: constitutio loci erit, ponere meipsum, non sine pudore et contritione, inter Apostolos post coenam ultimam, ad quos dicit Salvator: *posui vos ut eatis, et fructum afferatis; et fructus vester maneat* (*Jo. 15, 16*).

PRAELUDIUM 3: per intercessionem Beatae Mariae Virginis rogabimus, ut ambulemus *digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei* (*Col. 1, 10*).

TESSERA: *de primitiis omnium frugum tuarum da Ei* (*Prov. 3, 9*).

I. Lignum viride (v. 11).

1. . . . . *de quo nobis grandis sermo!* . . . .

2. Quanto melius cognoscerem, amarem, imi-

tarer Jesum, exemplum meum, si minus tardus essem!

3. »Cognoscam Te, amabilissime Jesu, cognoscam Te! Quia parum cognosco, parum diligo; da ut Te mediter per diem sine cessatione. Quantum enim plus Te meditor, tanto es mihi amabilior" (S. Aug.). — Quid facio quotidie cum primitiis diei? . . . .

II. Sterilitas mea (v. 12—14).

1. Hebraei illi non amabant audire novae legis mysteria, quia ad Judaïsmum procliviores erant. Inde difficultas doctrinae.

2. Cur ego etiam adhuc indigeo lacte doctrinae elementariae? nonne quia adhuc in fide parum exercitatus, proclivior sum rebus vanis quam caelestibus?

9. »Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas, te rogamus audi nos". — Quid facio de primitiis uniuscujusque operis mei? Quoties renovo intentionem?

III. Primae conditiones fecunditatis (v. 1—3).

1. Sicut terra, pluvia, radii solis sunt primae conditiones fecunditatis plantarum, sic ut homo adultus fiat vere Christianus, requiruntur: poenitentia, a qua S. Joannes Baptista et Jesus Christus et Apostoli inceperunt suum Evangelium et fides, quae est radix, initium

et fundamentum justificationis; dein Baptismus, qui delet peccatum originale, et cetera Sacramenta, quae restituunt amissam vel conservatam confirmant justificationem; tandem spes in futuram resurrectionem et timor judicii.

2. Num bene utor his primitiis sanctitatis, praecipue tempore desolationis?

3. Nonne utile erit, hoc loco cum S. Ignatio petere: »ut si umquam amoris Domini oblitus fuero ob meas culpas, saltem timor poenarum me juvet ne in peccatum deveniam?"

IV. Cultura arbua (v. 4—6).

1. In memoriam revocabo *hanc similitudinem: arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineae: ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora: et siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam* (*Luc. 13, 6—9*).

2. Nonne et ego abundanter accepi beneficia Dei, ita ut dicere possit Christus: *quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei* (*Is. 3, 4*)? Recole beneficia. S. Alph. sentit cum S. Petro Dam. (lib. 4 ep. 5.) haec

verba Hebr. 6, 4 praecipue valere contra malos sacerdotes.

3. Gratias agam, veniam petam, offeram hos actus tamquam primitias novae vitae.

V. Aut benedictio aut combustio (v. 7 et 8).

1. Iis, qui lapsi sunt, non defectu doctrinae sed defectu voluntatis, et post tot gratias non resipiscunt, Deus subtrahit gratias uberiores, quibus antea eos juvabat, et periculum est, ne finis futurus sit ignis aeternus.

2. *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quae ego hodie praecipio vobis: maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambuletis post deos alienos, quos ignoratis* (*Deut. 11, 26—28*).

3. Memento, in faciendo proposito, multum pendere a »*primitiis omnium frugum tuarum*".

Colloquium: Tua Domine propitiatione — et beatae Mariae semperVirginis intercessione — ad perpetuam atque praesentem — haec oblatio — nobis — proficiat — prosperitatem — et pacem — Per Dominum nostrum Jesum Christum — Filium tuum — qui tecum vivit et regnat — in unitate Spiritus Sancti — Deus — per omnia saecula saeculorum. Amen." (Secreta Missae vot. B. M. V. a Pent.).

Meditatio 73.

Hebr. 6, 9—20.

I. Gratiae efficaces jam acceptae;

9 Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, et viciniora saluti: tametsi ita loquimur. 10 Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis.

II. promissiones Dei;

11 Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem: 12 ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide et patientia hereditabunt promissiones. 13 Abrahae namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum, 14 dicens: nisi benedicens, benedicam te, et multiplicans multiplicabo te (Gen. 22, 16). 15 Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. 16 Homines enim per majorem sui jurant: et omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. 17 In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem

consilii sui, interposuit jusjurandum: [18] ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: [19] quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis; [20] ubi praecursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in aeternum.

III. caelum patefactum.

PRAELUDIUM 1: considerabo tria motiva firmae fiduciae.

PRAELUDIUM 2: videbo sanctum virum Job, perdita prole, amissis divitiis, tetro ulcere affectus pessimo a planta pedis usque ad verticem capitis, testa saniem radentem, sedentem in sterquilinio, ab uxore et amicis vexatum, dicentem nihilominus: *Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes in sinu meo.* (*Job. 19, 25—27*).

PRAELUDIUM 3: per Mariam, spem nostram, rogabo augmentum fiduciae, praecipue in . . . .

TESSERA: *in Te Domine, speravi; non confundar in aeternum: in justitia tua libera me.* (*ps. 30, 2*).

I. Gratiae efficaces jam acceptae (v. 9 et 10).

1. Absit ut vos arbitrer, ait auctor epistolae, terram infrugeram; e contra multo meliora et feliciora de vobis cogito: novi enim quae fuerit et quae sit adhuc vestra in sanctos propter Deum caritas; novi etiam, Deum uberiores gratias non denegaturum iis qui per bona opera gratiae augmentum meriti sunt.

2. Recole, quomodo liceat ante Dei oculos ponere bona sua opera: sicut Job (per totum c. 31, v.g. v. 6): *appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam;* sicut Psalmista (per totum ps. 25, v. g. v. 6): *lavabo inter innocentes manus meas et circumdabo altare tuum, Domine;* et saepe saepius in libro psalmorum (v. g. ps. 43, 18): *haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus Te: et inique non egimus in testamento tuo.*

3. Gratias agam Deo, pro beneficiis Ejus spiritualibus, in die primae communionis, vocationis ad statum clericalem, in die tonsurae, ordinum minorum, etc., in die emissionis voti vel votorum, et rogabo ut melius semper cooperer cum gratia Ejus.

II. Promissiones Dei (v. 11—18).

1. Cur ergo — sic auctor — supra dixi vobis ista duriora? primo: ut unusquisque vestrum eundem caritatis fervorem habeat;

secundo ne forte segnes efficiamini; tertio ut imitantes sanctos, cum illis promissa bona hereditetis. Et quoad haec promissa: recordamini Abrahae, quanta fide crediderit, quanta fiducia expectaverit ea quae Deus juramento firmavit eo fine, ut nos spirituales Abrahae filii, promissionis heredes, firmius et patientius expectaremus.

2. Cur non magis fido his v. g. promissionibus: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Mt. 11, 28*)? *Eum qui venit ad Me, non ejiciam foras* (*Jo. 6, 37*)? *Petite et dabitur vobis* (*Mt. 7, 7*)? *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in Me manet, et Ego in illo* (*Jo. 6, 57*), *habet vitam aeternam: et Ego resuscitabo eum in novissimo die* (*v. 55*)?

3. Bonus clericus, quidquid ei accidit, si fiduciam tenet, dicet in corde suo, vel incipiet labiis dicere, ut facilius in hunc sensum inclinetur cor: *quare tristis es anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, et Deus meus* (*ps. 41, 6 et 7*).

III. Caelum patefactum (v. 19 et 20).

1. Haec spes est animae nostrae quasi anchora, eo tutior et firmior quo non penetravit petram vel arenam, sed ipsum caelum, quo in nostrum commodum prior nobis intravit Jesus.

2. Vide sedem tibi in caelo destinatam a Jesu, qui dixit: *vado vobis parare locum* (*Jo. 14, 2*).

3. Ora cum Ecclesia (Dom. 4 post Pascha) »ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda ubi vera sunt gaudia".

Colloquium: lente et devote recitabo »Salve Regina" etc. interim petens quod volo.

Meditatio 74.

Hebr. 7, 1—10.

I. Persona Melchisedech

1 Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahae regresso a caede regum, et benedixit ei: 2 cui et decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex justitiae: deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis, 3 sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

II. major quam Abraham,

4 Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de praecipuis Abraham patriarcha. 5 Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis: quamquam et ipsi exierint de lumbis Abrahae. 6 Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc qui habebat repromissiones benedixit. 7 Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur.

III. major quam Levitae.

8 Et hic quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur quia vivit. 9 Et (ut ita dictum sit) per Abraham, et Levi, qui decimas accepit, decimatus est: 10 adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.

PRAELUDIUM 1: considerabo primam rationem cur praestet sacerdotium Christi sacerdotio mosaico, nempe: Melchisedech, typum Christi, fuisse virum maximae dignitatis.

PRAELUDIUM 2: videbo ante oculos meos Abram, quattuor reges persecutum, Lot et captivos omnes spoliaque reducere, eique obviare Melchisedech, regem atque sacerdotem (Gen. 14, 18—20): *at vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, et ait: benedictus Abram Deo excelso, qui creavit caelum et terram: et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.*

PRAELUDIUM 3: per Matrem Summi Sacerdotis petam ut ita imiter Filium ejus (praecipue in . . . .) ut vocationis meae ad sacerdotium numquam Eum poeniteat.

TESSERA: (saepius hodie audiam sanctum Angelum custodem ad me dicentem): *juravit Dominus, et non poenitebit Eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (*ps. 109, 4*).

I. Persona Melchisedech (v. 1—4).

1. In memoriam revocabo: nomina: est rex justitiae, rex pacis; munus: rex et sacerdos; actiones: oblatio, benedictio, acceptio decimarum; jus sacerdotale: quamquam non pertinebat ad tribum Levi; tempus: exhibetur neque nascens, neque moriens, tantummodo ut offerens, benedicens, decimas accipiens.

2. Considerabo, quomodo in his omnibus *assimilatus* sit Filio Dei, cujus prototypus fuit.

3. Num et ego habeo cor justum et pacificum, regium simul et sacerdotale? quasi parentes et affinitates non habens? non attendens hominum genealogias? quasi in aeternitate vivens, temporalia spernens? Quid times vincere teipsum et diabolum et mundum? *Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae reges* (*ps. 109, 5*).

II. Plus quam Abraham (v. 4—7).

1. Primo: Abraham, Patriarcha et singularis ille pater populi electi dat ei decimas. Quod Levitae non exigunt nisi a suis popularibus, ab eodem patre progenitis, neque sine speciali Legis mandato, hoc accipit Melchisedech, qui orginem non duxit ex posteris Levi, ab ipso Israelitarum patre. Secundo: si benedictio non intelligitur sola faustorum apprecatio, qualis ab inferiore saepe fit, sed, ut hoc

loco, efficax, vi cujus caelestis favor aut gratia divina effunditur in eum, qui accipit, nemo benedicere valet nisi in quantum potestatem a Deo acceperit: atqui: Melchisedech hoc ultimo sensu benedixit Abraham. Agitur scilicet Gen. 14, 19 de benedictione liturgica post oblatum sacrificium, ejusdem fere rationis cum benedictione, quam ipso Deo jubente (Num. 6, 22—27) sacerdotes israelitici vel ipse etiam summus Pontifex officio sacro terminato populo impertiri solebant.

2. Nonne Jesus Christus omne jus habet, non dicam in decimas meas, sed in omne quod sum et habeo? Dein: *nonne benedictio Dei in mercedem justi festinat* (*Eccl. 11, 24*)?

3. »Sume, Domine, et suscipe," etc. (pag. 316).

III. Plus quam Levitae (v. 8—10).

1. Primo: sacerdotes, qui debent genealogiam adducere ut probent se pertinere ad tribum Levi, et ad familiam quidem Aaronis, sunt mortales, sibi invicem succedunt: Melchisedech vero — qui hoc loco consideratur non sicut in rerum natura extitit, sed prout memoria ejus habetur in sacris litteris, ubi pater ejus et mater et genealogia et ortus et obitus alto silentio premuntur — nunquam desiit dignitate sacerdotali gaudere, quia nullum suae dignitatis et juris successorem heredemve habuit. Secundo: imo ipsi Levitae, in

lumbis Abrahae, decimas obtulerunt Melchisedech.

2. Omnes excellentiae Melchisedech infinito modo sunt in Jesu. Cur aliud quaeram?

3. *Dominus pars hereditatis meae, et calicis mei* (i. e. laetitiae meae)! (*ps. 15, 5*).

Colloquium: o beata Maria Virgo, quamvis sacramentum Ordinis non acceperis, quidquid tamen dignitatis et gratiae in ipso confertur, de hoc plena fuisti (S. Antoninus). Per tuam bonitatem maternam, fac ut magis magisque similis fiam Filio tuo.

Meditatio 75.

Hebr. 7, 11—22.

I. Sacerdotium Christi succedit sacerdotio mosaico,

11 Si ergo consummatio per sacerdotium leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? 12 Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. 13 In quo enim haec dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari praesto fuit. 14 Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.

II. in aeternum,

15 Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos, 16 qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitae insolubilis. 17 Contestatur enim: quoniam Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

III. efficax,

18 Reprobatio quidem fit praecedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem: 19 nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero

melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

IV. juramento firmatum.

20 Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt; 21 hic autem cum jurejurando, per Eum qui dixit ad Illum: juravit Dominus et non poenitebit Eum: Tu es sacerdos in aeternum), 22 in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus.

PRAELUDIUM 1: considerabo quattuor alias rationes, cur sacerdotium Christi praestet sacerdotio mosaico.

PRAELUDIUM 2: videbo ante oculos meos historiam (Num. 20, 22—30): *cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terrae Edom: ubi locutus est Dominus ad Moysen: pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad Aquas contradictionis. Tolle Aaron et filium ejus cum eo, et duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, et morietur ibi. Fecit Moyses ut praeceperat Dominus: et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron,*

flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

PRAELUDIUM 3: per beatam Mariam Virginem rogabo ut magis magisque adhaeream Jesu eius, praecipue amovendo hoc vel illud impedimentum.

TESSERA: (iterum saepius audiam hodie S. Angelum custodem, ad me dicentem): *Juravit Dominus et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

I. Sacerdotium Christi succedit sacerdotio mosaico (v. 11—14).

1. Christus, non ex Levi, sed ex Juda ortus, dicitur sacerdos, (non secundum ordinem Aaronis, sed secundum ordinem Melchisedech), quia intima relatio est inter sacerdotium et Legem, cum Lex hominem absolvere, Deo reconciliare, justificare nequeat, nisi per sacrificia et proinde per sacerdotium; unde patet sacerdotium veteris legis ipsamque legem hanc hominem salvare non potuisse, ideoque eis successisse Sacerdotium et legem Christi.

2. Considera, id quod de lege vetere dicitur multo magis valere de rebus omnibus terrenis: omnia transeunt, et dum sunt, non sunt nisi propter Jesum.

3. »Quid potest tibi mundus conferre sine Jesu?" (Imit. 2, 8).

II. In aeternum (v. 15—17).

1. Christus est sacerdos, non secundum legem carnalis successionis, sed secundum vim vitae immortalis, ita ut nec cuiquam successerit, nec successori det locum.

2. »Qui amplectitur Jesum, firmabitur in aevum." (Imit. 2, 7).

3. »Ne permittas me separari a Te!"

III. Efficax (v. 18 et 19).

1. Sacerdotium Leviticum rejicitur, quia impotens erat ad hominem justificandum: introducitur melior lex meliusque sacerdotium per quod perfecte reconciliabimur et uniemur cum Deo.

2. »Tene te apud Jesum, vivens ac moriens, et illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus, solus te potest juvare" (Imit. 2, 7).

3. Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret" (Imit. 3, 15).

IV. Juramento firmatum (v. 20—22).

1. Jusjurandum non adhibetur, nisi in negotiis quae majoris momenti sunt, et ideo firma et rata necessario esse debent.

2. »Non confidas, nec innitaris super cala-

mum ventosum; quia omnis caro foenum, et omnis gloria ejus ut flos foeni cadet" (Imit. 2, 7).

3. Cor Sacrum Jesu, in Te confido! (300 t. q.).

COLLOQUIUM: Jesum solum quaerere, quid nobilius! numquam ab Eo separari, quid felicius! cum Eo laborare, quid utilius! in Eo solo sperare, quid tutius! Quis melius hoc fecit quam Maria! O Maria....

Meditatio 76.

Hebr. 7, 22.

Praeludium 1: contemplabor significationem singularum vocum: Jesus — testamenti — melioris — sponsor.

Praeludium 2: audiam Angelum meum custodem mihi dicentem: *gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam* (*Eccl. 29, 20*).

Praeludium 3: per intercessionem beatae Mariae Virginis rogabo augmentum gratitudinis, ita ut v. g. ex amore gratitudinis humilius et hilarius portem molestias diei.

Tessera: *Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones Ejus* (*ps. 112, 2*).

I. Jesus.

Unus Dominus — Filius Dei unigenitus — ex Patre natus ante omnia saecula — Deus de Deo — lumen de lumine — Deus verus de Deo vero — genitus non factus — consubstantialis Patri — per quem omnia facta sunt — qui propter nostram salutem descendit de caelis — etc. *Benedic, anima mea, Domino....*

II. Testamenti.

Est duplex testamentum: vetus erat religio mosaica, quae tamquam foedus inter Deum et Israelitas spectabatur, quod constabat promissionibus, conditionibus, variis legibus. *Benedic, anima mea, Domino* . . . .; novum est oeconomia religionis christianae; recole: *hic est enim sanguis meus novi Testamenti.* (Mt. 26, 28). *Benedic, animae mea, Domino* . . . .

III. Melioris.

Quia praestantioribus promissionibus quam religio mosaica sancita est et majora bona credentibus promittit: plenam peccatorum veniam, favorem Dei, felicitatem aeternam. *Benedic, anima mea, Domino* . . . .

IV. Sponsor.

Primo sponsor est qui pro alio spondet, sponte promittit. Sic bona mater pro puero suo poenam merente offenso patri sponte promittit meliorem vitam. — *Domine, vim patior, responde pro me* (*Is. 38, 14*). Secundo sponsores vocantur patrinus et matrina in Baptismo, quia pro infante baptizando spondere et respondere debent. — Et sicut in generatione carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo, sic in spirituali regeneratione requiritur aliquis qui fungatur

vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum, quasi novitium in fide, de his quae pertinent ad vitam christianam: ad quod praelati Ecclesiae vacare non possunt, circa communem curam populi occupati: parvuli enim et novitii indigent speciali cura praeter communem (S. Thomas). Tertio Jesus Christus, Dominus noster, duplici sensu est sponsor: ab una parte sponsor beneficii redemptionis, quia Deus per Eum reddit id, quod hominibus promisit. *Benedic, anima mea, Domino* . . . .; ex altera parte sponsor cultus nostri, quia per Eum Ejusque gratiam perficimus quod mutuo pacto Deo promisimus. *Benedic anima mea, Domino* . . . .

Si tempus superest, eodem modo contemplabor significationem vocum: *gratiam — fidejussoris — non obliviscaris — dedit — enim — pro te — animam — suam.*

Colloquium: Mater Jesu est etiam sponsor; orabo igitur pro me et cum Ecclesia pro omnibus: »Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam solemnem commemorationem." — Dein adibo Jesum, sponsorem meum, ut gratias Ei agam, Eique magis adhaeream.

Meditatio 77.

Hebr. 7, 23—8, 5.

I. Summi Sacerdotis immortalitas,

23 Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: 24 hic autem eo quod manet in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. 25 Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.

II. perfectio omnimoda,

26 Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus: 27 qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. 28 Lex enim hominis constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum.

III. celsitudo,

1 Capitulum autem super ea quae dicuntur: talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis, 2 sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo.

IV. ministerium caeleste.

3 Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur: unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat: 4 si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera, 5 qui exemplari et umbrae deserviunt caelestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: vide (inquit) omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte.

PRAELUDIUM 1: considerabo iterum quattuor alias rationes, cur sacerdotium Christi praestet sacerdotio mosaico: quae sunt immortalitas, perfectio omnimoda, celsitudo, ministerium caeleste.

PRAELUDIUM 2: videbo et audiam quomodo Moysi, cum in eo esset, ut tabernaculum fabricaret, divinitus praescriptum fuerit, ut imitaretur exemplar quoddam caeleste: *vide* (*inquit*) ei Deus, *omnia facito*, *secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte* (*8, 5 et Exod. 25, 40*).

PRAELUDIUM 3: rogabo per Cor purissimum beatae Mariae Virginis, tam simile Sanctissimo Cordi Jesu, ut in omnibus, praecipue in .... faciam secundum exemplar clericorum, Jesum, Pontificem nostrum.

TESSERA: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam Te* (*Exod. 33, 13*).

I. Nostri Pontificis immortalitas (v. 23—25).

1. Levitici, quorum quisque moritur, sibi invicem succedunt, nec ideo manent sacerdotes; et sic mutatur sacerdotium continuo. Christi sacerdotium est immutabile: quia nullum successorem habet, cum sacerdotes Novi Testamenti sint ejus vicarii et ministri — quia per hos in Ecclesia usque ad finem mundi se offert ipse Christus — quia sacrificium Ejus virtutem habet aeternam salvandi omnes — quia etiam in caelis perpetuo continuat sacrificium suum, illud Deo Patri offerendo.

2. Christus, ait S. Thomas, interpellat pro nobis, humanitatem suam, quam pro nobis assumpit, repraesentando, et sanctissimae animae suae desiderium, quod de salute nostra habuit, exprimendo.

3. *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu* (*Philip. 2, 5*). — »Intra Tua vulnera absconde me!" — *Adveniat regnum tuum* (*Mt. 6, 10*).

II. Perfectio omnimoda (v. 26—28).

1. Conveniens fuit ut Deus daret nobis sacerdotem, qui id omne complecteretur, quod in conceptu formali nominis »sacerdotis" includitur, nam primo expiatio rigorosa requirebat

pontificem Deo summe acceptum; secundo opera Dei perfecta esse debent.

2. Examinabo num dignus sim talis Pontificis vicarius et minister.

3. Incipiam emendationem a virtute cardinali temperantiae et enixe rogabo: »Jesu, mitis et humilis corde, fac cor meum secundum Cor tuum." (300).

III. Celsitudo (8, 1—2).

1. Christus sacerdotio suo fungitur in caelo, id est, in sanctuario longe excellentiore illo, cui sacerdotes Aaronici, inserviebant; qui scilicet ministrabant in tabernaculo terrestri, quod nonnisi imperfecta quaedam imitatio erat Tabernaculi caelestis.

2. Quae est conversatio mea cum Ecclesia triumphanti? Ibi Agnus adoratur; ibi stat »sublime altare", in quod quotidie rogas, ut perferantur oblata consecrata (Canon).

3. Jungens me cum Angelis et senibus, cum magno affectu dicam: *dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem et honorem, et gloriam et benedictionem* (*Ap. 5, 12*).

IV. Ministerium caeleste (v. 3—5).

1. Ministerium sacerdotale Veteris Legis fuit exemplar et umbra (v. 5) ministerii cae-

lestis Christi, sicut id, quod Moyses vidit in monte, fuit exemplar et umbra tabernaculi construendi.

2. Considerabo hoc Christi ministerium caeleste: *et ecce in medio throni et quattuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tamquam occisum* (*Apoc. 5, 6*); hic *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (*Hebr. 7, 25*), rogans Patrem ut alium Paraclitum det nobis (Jo. 14, 16), advocatus noster apud Patrem (1 Jo. 2, 1), *propritiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (*1 Jo. 2, 2*).

3. Examinabo, quomodo me interne et externe geram in actu Consecrationis.

Colloquium: Maria, mitis et humilis corde, fac cor meum secundum Cor Jesu, ut sentiam sicut Ille de aliis (in zelo), de me (in humilitate), de Deo (in adoratione).

Meditatio 78.

Hebr. 7, 26.

Praeludium 1: meditabor de characteribus Christi Pontificis, ut et mihi infigantur, pro posse meo.

Praeludium 2: videbo et audiam Jesum in ultima coena instituentem sacerdotium, vel in cruce, dum moriens dicit: *consummatum est* (Jo. 19, 30).

Praeludium 3: rogabo per beatam Mariam Virginem, ut viva imago fiam Jesu, Filii ejus.

Tessera: *Tuus sum ego, salvum me fac; quoniam justificationes tuas* (praecepta tua) *exquisivi* (*ps. 118, 94*).

I. Sanctus.

Pius in Deum: *sancti erunt Deo suo et non polluent nomen Ejus* (*Exod. 21, 6*). — Considerabo sanctitatem Jesu et meam. »Si haberes angelicam puritatem et sancti Joannis Baptistae sanctitatem, non esses dignus hoc Sacramentum accipere nec tractare.« (Imit. 4, 5). — Prima proprietas clerici: totus deditus Deo, ut calix, altare consecratum.

II. Innocens.

Sine malitia, purus ab omni labe peccati actualis: *custodiant praecepta mea, ut non*

subjaceant peccato (*Lev. 22, 9*). — Considerabo innocentiam Jesu et meam. Jesus, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore Ejus* (*1 Petr. 2, 22*), et ideo sensu generalissimo dicere potuit: *quis ex vobis arguet Me de peccato?* (Jo. 8, 46). Et ego, Levita, Sacerdos, Pontifex? — Secunda proprietas clerici: numquam peccans.

II. Impollutus.

Tum quoad corpus, quia integer erat, et sine ulla corporali defectu vel immunditia, tum quoad animam, quia nullum peccatum habituale habuerat aut habere poterat. *Loquere ad Aaron: homo de semine tuo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo* (*Lev. 21, 17*). Innuitur coelibatus sacerdotalis. — Tertia proprietas clerici: nullum habitum peccaminosum vel periculosum in se patiens.

IV. Segregatus a peccatoribus.

a. Pontifex judaicus summa cum sollicitudine sibi a contaminatione rerum impurarum cavere debebat, ita ut ne ad cadavera quidem parentum suorum ingredi ipsi liceret (Lev. 21, 11), et sola virgo uxor ejus fieri posset (Lev. 21, 15). — Applica Jesu Pontifici.— *b.* Christus debuit esse a peccatoribus segregatus quantum ad culpam, quam venerat destruere, non quantum ad naturum, quam

venerat salvare, secundum quam debuit per omnia fratribus assimilari (2, 17). Et in hoc etiam mirabilior est Ejus innocentia, quod de massa, peccato subjecta, natura assumpta tantam habuit puritatem (S. Thom.). — Quarta proprietas clerici: abhorrens a mundo rebusque mundanis.

V. Excelsior caelis factus.

Id est: non solum humanam naturam, sed ipsos angelos longe superans; ideoque in immensum super omnia terrena elevatus. — »Ejus (i. e. sacerdotis) conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra" (Imit. 4, 5). — Quinta proprietas clerici: cujus *conversatio in caelis est* (*Phil. 3, 20*).

Colloquium: »Domine Deus meus, creator meus et Redemptor meus, cum tali affectu, reverentia, laude et honore; cum tali gratitudine, dignitate et amore; cum tali fide, spe et puritate, Te affecto hodie (et quotidie) suscipere, sicut Te suscepit et desideravit sanctissima Mater tua, gloriosa Virgo Maria, quando Angelo evangelizanti sibi Incarnationis mysterium, humiliter ac devote respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum." (Imit. 4, 17).

Meditatio 79.

Hebr. 8, 6—13.

I. Foedus novum praestat ratione promissorum,

6 Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

II. videlicet: gratiae internae,

7 Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. 8 Vituperans enim eos dicit: ecce dies venient, dicit Dominus: et consummabo super domum Israel, et super domum Juda, testamentum novum; 9 non secundum testamentum quo feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Aegypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et Ego neglexi eos, dicit Dominus.

10 Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas: et ero eis in Deum, et ipsi erunt Mihi in populum:

III. ad intimiorem cognitionem Dei,

11 et non docebit unusquisque fratrem suum, dicens: cognosce Dominum: quoniam omnes scient Me a minore usque ad majorem eorum:

IV. ad remissionem peccatorum;
12 quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor (Jer. 31, 31 ss.).

V. hinc Vetus Testamentum abolitum.
13 Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.

Praeludium 1: jam consideravi excellentiam Christi Jesu, ex comparatione cum Angelis, cum Moyse, cum Aarone, cum Melchisedech; nunc considerabo Ejus excellentiam comparando utriusque oeconomiae foedus, cultum, sacrificium. Et cras quidem materia erit: foedus novum praestat veteri ratione gratiae internae.

Praeludium 2: audiam Christum de omnibus clericis dicentem: *et ero eis in Deum et ipsi erunt Mihi in populum* (*v. 10*).

Praeludium 3: rogabo beatam Mariam Virginem, ut novus homo fiam, praecipue quoad hunc defectum . . . .

Tessera: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*ps. 50, 12*).

I. Foedus novum praestat veteri ratione promissorum (v. 6).

1. Promissiones veteris Testamenti erant terrenae: requies terrae sanctae, victoria de hostibus, etc.; promissiones novi Testamenti

sunt caelestes: requies et possessio Dei et quae ad eam conducunt.

2. Sic vita mea abhinc renovata ratione promissionum praestantior erit: »cogitet enim unusquisque, tantum se profectum facturum esse in omnibus rebus spiritualibus, quantum exiverit seu exuerit se a proprio suo amore, a propria voluntate et utilitate, seu commoditate propria" (Ex. spir. II h. de ref. vitae).

3. Domine Jesu Christe, qui promisisti cultoribus sacratissimi cordis tui, eos reperturos esse in hac amabili devotione omnia statui ipsorum necessaria auxilia, adauge nobis gratiam devotionis, ut acquiramus quae promisisti, et novo fervore novaque alacritate ad bravium nobis propositum curramus. Qui vivis et regnas . . . .

II. Ratione scilicet gratiae internae (v. 7—10).

1. *a.* Vetus Testamentum ex se non potuit subditos suos ad finem praestitutum, sanctificationem, perducere. Novum Testamentum superabundanter hoc praestat.

b. Vetus foedus tabulis lapideis inscriptum, per se nullam praestabat gratiam internam; novum foedus, cordibus inscriptum confert semper sufficientes, et si volumus efficaces, saepesaepius uberiores illuminationes intellectus et inspirationes voluntatis.

2. *a.* Num ego jam perveni ad sanctitatem? renovata vita melius me perducat ad finem. »Omni die renovare debemus propositum nostrum, et ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conversionem venissemus, atque dicere: adjuva me, Domine Deus, in bono proposito et sancto servitio tuo, et da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est quod hactenus feci" (Imit. 1, 19).

b. Jam dua habeo motiva, ut hodie incipiam novam vitam: promissus profectus (I) et efficacitas conatus ad sanctitatem (II); en tertium motivum: melius audiam quid loquatur in me Deus (v. 10). »Dupliciter soleo electos meos visitare, tentatione scilicet et consolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego: unam, increpando eorum vitia; alteram, exhortando ad virtutum incrementa. Qui habet verba mea, et spernit ea, habet qui judicet eum in novissimo die" (Imit. 3, 3).

3. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus!*

III. Ad intimiorem cognitionem Dei (v. 11).

1. Magisterium, foedere veteri institutum, carebat infallibilitatis dono, restringebatur ad solos Judaeos, erat minus efficax. Magisterium, foedere novo nobis datum, divinum, infallibile, universale, tam efficax, ut pueri septem annorum summa certitudine de Deo sciant quae doctissimi pagani per tot studia cognoscere non valebant.

2. Quartum motivum incipiendi quasi novam vitam: progrediar in cognitione et agnitione Dei, qui est summum bonum meum.

3. »Fecisti nos ad Te, Domine, et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in Te". (S. Aug.).

IV. Ad remissionem peccatorum (v. 12).

1. Vetus Testamentum non dabat veniam nisi intuitu Novi. In Novo fit remissio peccatorum per gratiam sanctificantem.

2. Quintum motivum renovationis spiritus: magis amovebor a peccato, summo malo.

3. Enixe rogabo, ut, quidquid mihi accidat, numquam tamen Deum deliberate offendam. »Intra tua vulnera absconde me, ne permittas me separari a Te" (S. Ign.).

V. Hinc Vetus Testamentum abolitum (v. 13).

1. Vetus Testamentum sub Moyse nascitur, sub Davide ad maturam aetatem pervenit, post tempora prophetarum senescens, tandem adveniente Christo moritur. Novum numquam morietur.

2. Sextum motivum: ipsa novitas vitae novae; parit enim novitas fervorem et alacritatem et jucunditatem. — Considerabo verba Christi: *vinum novum in utres novos mittendum est*

et utraque conservantur (*Luc. 5, 38*) et Sancti Pauli: *quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* (*Rom. 6, 4*). Cf. Eph. 4, 22—24; Col. 3, 9 s.

3. »Sacris solemniis juncta sint gaudia, et ex praecordiis sonent praeconia: recedant vetera, nova sint omnia, corda voces et opera."

COLLOQUIUM: repetam 6 motiva — accurate determinabo quid emendandum in nova vita — quasi novum foedus cum Jesu ineam — sub tutela Matris.

Meditatio 80.

Hebr. 9, 1—10.

I. Veteris Testamenti ritus

1 Habuit quidem et prius justificationes culturae, et sanctum saeculare. 2 Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quae dicitur Sancta. 3 Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum: 4 aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quae fronduerat, et tabulae testamenti, 5 superque eam erant cherubim gloriae obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula. 6 His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper in troibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: 7 in secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua et populi ignorantia:

II. sunt inefficaces.

8 hoc significante Spiritu Sancto, nondum propulatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum; 9 quae parabola est temporis

instantis: juxta quam munera, et hostiae offeruntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, [10] et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.

PRAELUDIUM 1: veteris Testamenti cultus declarat ejusdem inefficaciam.

PRAELUDIUM 2: constitutio loci: videbo Tabernaculum in deserto. Et primo quidem spatium (Sanctum) 20 cubitos longum et 10 cubitos latum, in quo, *a.* ante velum, imaginibus cherubim ornatum, invenitur altare thymiamatis, auro obductum; *b.* ad manum sinistram candelabrum ex auro purissimo; *c.* ad manum dexteram mensa, de lignis setim, auro obductis, super qua ponebantur 12 panes propositionis, qui ibi per 6 dies relinquebantur, et, novis appositis, in cibum sacerdotum inserviebant.

Secundo: remoto velo intrabo visu imaginationis in alterum spatium (Sanctissimum), 10 cubitos longum et latum, in cujus medio videbo arcam foederis, intus et foris deauratam, cum operculo et cherubinis.

PRAELUDIUM 3: rogabo per beatam Mariam Virginem, ut numquam cultum externum, Deo debitum, negligam.

TESSERA: *jubilate Deo omnis terra: servite Domino in laetitia!* (*ps. 99, 1*).

I. Veteris Testamenti cultus (v. 1—7).

Singulas partes in memoriam revocabo et statim applicabo ad Jesum secundum illud 8, 5: *vide* (*inquit*) *omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte:* 1 Sanctum, habens candelabrum et mensam propositionis, 2. est Christus, lux et panis noster; 1. Sanctum sanctorum, 2. est Christus, est Ecclesia, est caelum; 1. sacrificia quotidiana, in Sancto continuo celebrata, 2. est Sacrificium Missae; 1. sacrificium annuum, in Sancto sanctorum a pontifice pro se et populo, non sine sanguine oblatum, 2. est Sacrificium crucis, quotidie renovatum et applicatum.

3. Excitabo in me amorem cultus externi revolvendo: *a.* quanta cura et diligentia exigatur a novo cultu, si vetus jam tot innumeris fere et accuratissimis praeceptis munitus erat; *b.* agi de relatione creaturae ad creatorem: ps. 99, v. 2 et 3: *introite in conspectu Ejus in exsultatione.* Cur? *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos et non ipsi nos: populus Ejus, et oves pascuae Ejus.*

II. Inefficaciam ejusdem declarat (v. 8—10).

1. Quia figurabat *a.* viam et januam in caelum nondum apertam; *b.* expiationem conscientiae oblatis hostiis non peractam; *c.* corporales ceremonias ad tempus dumtaxat impositas.

2. In novo Testamento tempus advenit, janua caeli aperta est, etc.

3. Revolvam secundum motivum externe colendi Deum ex ps. 99, 4 et 5 : *Introite porta Ejus in confessione, atria Ejus in hymnis: confitemini Illi. Laudate nomen Ejus; quoniam suavis est Dominus, in aeternum misericordia Ejus, et usque in generationem et generationem veritas Ejus.* — Examinabo me circa signa crucis, quae quotidie toties facio, circa orationes meas orales, circa ceremonias Missae, et reverentiam externam coram Sanctissimo.

Colloquium: rogabo beatam Mariam Virginem propter ejus »Magnificat", propter ejus devotionem in obeundis ritibus purificationis, oblationis, etc., ut eam initer in colendo Deo devote et attente.

Meditatio 81.

Hebr. 9, 11—28.

I. Efficacitas Sacrificii Christi Pontificis,

11 Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis; 12 neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

II. qui per proprium sanguinem

13 Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: 14 quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? 15 Et ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis. 16 Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. 17 Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est, 18 unde

nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. 19 Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo; ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, 20 dicens: hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus (Exod. 24, 8). 21 Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. 22 Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio.

III. obtulit sacrificium summe efficax.

23 Necesse est ergo exemplaria quidem caelestium his mundari: ipsa autem caelestia melioribus hostiis quam istis. 24 Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis:

25 neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: 26 alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione saeculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. 27 Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: 28 sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit expectantibus Se, in salutem.

PRAELUDIUM 1: Veteris Testamenti ritibus inefficacibus (v. 1—10) opponitur efficacius sacrificii Christi Pontificis.

PRAELUDIUM 2: videbo magnum numerum tentoriorum in planitie prope montem Sinai, et infimo monte spatium magnum quo congregari possit omnis multitudo Hebraeorum. (Exod. 24, 4—8) *Moyses .... mane consurgens aedificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen foederis, legit audiente populo: qui dixerunt: omnia quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.*

PRAELUDIUM 3: rogabo per beatam Mariam Virginem, qui semper orabat in unione cum Filio suo, ut ego in cultu externo numquam obliviscar me unire cum Jesu, nam »per Ipsum, et cum Ipso, et in Ipso est Tibi, Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. Amen."

TESSERA: »Pater aeterne, offero Tibi pretio-

sissimum Sanguinem Jesu Christi in expiationem meorum peccatorum, et pro necessitatibus Sanctae Ecclesiae." (100 d.).

I. Efficacitas Sacrificii Christi Pontificis (v. 11 et 12).

1. *a.* Versiculi 11 et 12 paucis complectuntur ea quae dicentur a v. 13 ad 28: Christus ingressus tabernaculum caeleste (v. 11; cf. v. 24) per proprium sanguinem (v. 12) obtulit sacrificium summe efficax (*aeterna redemptione inventa*); *b.* illud *tabernaculum.... amplius et perfectius*, *non manufactum*, quid sit patet ex v. 24.

2. Quoad *a.*: considerabo, quam vere dictum sit a Matre Ecclesia: »O felix culpa, quae talem ae tantum meruit habere Redemptorem!" (Sabb. S. in Ben. Cerei).

Quoad *b.*: considerabo, quomodo Jesus triumphans in caelum redeat ostenturus Patri suo vulnera sua.

3. *a.* »Adoramus Te, Sanctissime Domine Jesu Christe, quia per crucem tuam redemisti mundum" (100 d. i.); — *b.* ad Jesum dicam: »Mi dilecte, revertere, consors paternae dexterae; / hostem vicisti prospere, / jam caeli regno fruere! / Sequar quocumque ieris; / mihi tolli non poteris, / cum meum cor abstuleris, / Jesu, laus nostri generis." (Jubilus amantis animae).

II. Qui per proprium Sanguinem Sacrificium obtulit (v. 13—22).

1. *a.* Sanguis Novi Testamenti praefertur sanguini Veteris (v. 13 et 14); *b.* qua sanguinis effusione Christus est mediator novi testamenti, proprie dicti, et morte sanciti (v. 15—22).

2. Considerabo quomodo Dominus noster perierit reali separatione corporis et sanguinis in cruce, et haec separatio quotidie repraesentetur in Consecratione Missae.

3. »Pie Pelicane, Jesu Domine, me immundum munda tuo Sanguine" .... (Adoro Te).

III. Sacrificium summe efficax (v. 23—28).

1. Quia *a.* semel oblatum (v. 25—28), *b.* aeternam redemptionem efficit: per remissionem peccatorum (v. 14, 15, 26, 28) et salutem aeternam (v. 12, 15, 28).

2. Considerabo quomodo ego, clericus, administrare debeam fructus hujus Sacrificii.

3. Ex consideratione hujus Sacrificii hauriam robur explendi officii mei sacerdotalis.

Colloquium: »Ave, suavis Maria, cujus beatam animam gladius doloris pertransivit, quando sub cruce Filii tui pendentis, acerbissimosque cruciatus tolerantis, et sanguinem suum fundentis, atque ad extremum expirantis, stetisti tota lacrymosa. Da mihi tecum stare, et grata mente recolere passionem mortemque ejusdem Unigeniti tui, mei Redemptoris." (Blosius).

Meditatio 82.

Hebr. 10, 1—18.

I. Sacrificia antiqua erant insufficientia,

1 Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos, eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere: 2 alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati: 3 sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. 4 Impossibile enim est sanguine taurorum er hircorum auferri peccata.

II. et sunt abrogata;

5 Ideo ingrediens mundum dicit: (ps. 39, 7 et 8) hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti Mihi. 6 Holocaumata pro peccato non Tibi placuerunt. 7 Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de Me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam. 8 Superius dicens: quia hostias, et oblationes, et holocaumata pro peccato noluisti, nec placita sunt Tibi, quae secundum legem offeruntur, 9 tunc dixi: ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.

III. sed sacrificium Christi est valde efficax.

10 In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. 11 Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias, quae numquam possunt auferre peccata: 12 hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, 13 de cetero expectans (ps. 109, 2; 1 Cor. 16, 25) donec ponantur inimici Ejus scabellum pedum Ejus. 14 Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos. 15 Contestatur autem nos et Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: 16 (Jer. 31, 33) hoc autem testamentem quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas: 17 et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. 18 Ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro peccato.

PRAELUDIUM 1: cras considerabo, quomodo ex sacrificiorum antiquorum insufficientia, ex eorundem abrogatione, ex sacrificii a Christo oblati efficacia pateat praeexcellentia Sacrificii Novi Testamenti, ut me excitem ad majorem devotionem in Missa quotidiana.

PRAELUDIUM 2: videbo templum Hierosolomytanum et juge sacrificium veteris Testamenti: quotidie mane et vespere ducitur agnus anniculus in atrium sacerdotum, capite ejus

ad sanctuarii januam verso, in testimonium, non nisi a Deo sperandam esse expiationem. Sacerdos manum suam capiti victimae imponit, symbolice transferens peccata populi in eam; dein mactat, significans statisfactionem vicariam; sanguis victimae excipitur, in signum acceptationis ejusdem a parte Dei, et partim spargitur, partim effunditur; tandem caro movetur versus quattuor mundi plagas, in signum crucis elevatur, partim concrematur; reliqua caro in convivia convertitur.

PRAELUDIUM 3: rogabo per beatam Mariam Virginem, ut mihi acquiram majorem devotionem in Sacrificio Missae, et fructum specialem: promptitudinem animi ad facienda sacrificia quae conveniunt statui meo.

TESSERA: *ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

I. Sacrificia antiqua erant insufficientia (v. 1—4).

1. Nam: *a.* non erant nisi umbra futurorum: habebant vim significandi, non sanctificandi (v. 1); *b.* semper repeti debebant pro iisdem peccatis, quia nullum secundum rigorem justitiae Dei satisfaciebat (v. 2 et 3, et 11); *c.* non poterant auferre peccata.

2. Applicabo haec ad Sacrificium crucis; vel, pro devotione, considerabo haec tria:

a. Sacrificium Missae habet vim sanctificandi; *b.* in Missa repetitur Sacrificium crucis incruento modo, non quia prima vice insufficiens, sed ut commemorativum et fructuum applicativum; *c.* Sacrificium Missae remittit culpas mortales ex opere operato, non quidem immediate, sed mediate, quatenus videlicet infallibiliter confert peccatori auxilia sufficientia ad justificationem.

3. En quot motiva habeo, ut devote assistam, perficiam, ut alios pro viribus adducam ut quotidie assitant Sacrificio Missae! — *Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra* (*1 Thess. 4, 3*).

II. Sacrificia antiqua abrogata sunt (v. 5—9).

1. Nam: *a.* repudiata sunt a Deo (v. 5 et 6); *b.* Corpus Christi acceptatum est in sacrificium (v. 7); *c.* et substituitur in locum illorum (v. 8 et 9).

2. Attente considerabo promptitudinem animi Domini nostri Jesu Christi.

3. Ruminabor devote, quae tam laete cantat Ecclesia: »Sacris solemniis juncta sint gaudia.— Et ex praecordiis sonent praeconia. — Recedant vetera, nova sint omnia. — Corda, voces et opera." — Et offeram meipsum: »Sume, Domine, et suscipe", etc. (pag. 316).

III. Sacrificium Corporis Christi valde efficax (v. 10—18).

1. Sacrificium Christi est summe efficax, quia primum *semel* (v. 10) *unam .... offerens hostiam* (v. 12), *una oblatione* (v. 14), secundum *in sempiternum* sibi ipsi gloriam caelestem acquisivit *in dextra Patris* (v. 12), ac tertium sanctificationem consummatam et sempiternam fidelibus (v. 10, 14), quartum per remissionem peccatorum a Jeremia praedictam (15—17), — ita ut quintum cruenta iteratio sacrificii crucis jam non opus sit (v. 18).

2. Considerari tamen licet, quomodo idem sacrificium summe efficax incruento modo, quotidie (et, si considero totum mundum, unoquoque momento cujusvis diei ac noctis) renovetur, quatenus Christus, victima animata et vivens vi consecrationis sub speciebus panis et vini constituitur, atque ad statum rerum inanimatarum reducitur.

3. »Adoro Te devote, latens Deitas!" .... Colloquium: a beata Maria Virgine rogabo, ut imiter eam in tractando corpore Jesu cum reverentia et pietate et devotione.

Meditatio 83.

Hebr. 10, 19—25.

I. Constantiae fundamenta

19 Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, 20 quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, carnem suam, 21 et sacerdotem magnum super domum Dei:

II. et exercitia.

22 accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, 23 teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit), 24 et consideremus invicem in provocationem caritatis, et bonorum operum: 25 non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.

Praeludium 1: perveni ad perorationem (v. 19—39) secundae partis epistolae. Auctor primo loco adhortatur ad constantiam in fide, proponens hujus constantiae fundamenta et exercitia.

Praeludium 2: intrabo, duce imaginatione,

in Sanctuarium Hierosolymitanum, uno momento antequam Jesus in monte Calvarii emisit spiritum. Videbo candelabrum aureum, mensam deauratam et altare. Videbo velum, separans hoc sanctuarium a Sanctissimo. Subito, Christo mortuo, hoc *velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum* (Mr. 15, 38). Impune jam intrabo Sanctissimum vacuum, obscurum, ubi solus lapis locum indicat, ubi arca foederis, jam diu deperdita, fuerit collocanda.

PRAELUDIUM 3: his bene perspectis, rogabo per beatam Mariam Virginem, augmentum fiduciae.

TESSERA: *teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem!*

I. Constantiae in fide fundamenta (v. 19—21).

1. Sunt tria: *a.* sicut pontifex in sanguine alieno Sanctum Sanctorum, sic Jesus in sanguine suo intravit caelum; *b.* sicut pontifex nonnisi amoto velamine intrare poterat Sanctum Sanctorum, sic et Jesus per carnem suam, in passione discissam, etiam nobis viam patefecit in caelum; *c.* sicut pontifex in domo Dei mediator, sic Jesus Mediator noster in caelo.

2. Considerabo quantam debeam habere fiduciam in Jesum, qui nobis aperuit caelum, nobis praecessit ut sequeremur, noster ibi est

mediator. — *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae* (*Is. 5, 4*)?.... *Modicae fidei, quare dubitasti* (*Mt. 14, 31*)?.... — Possum etiam considerare quam apposite velamine significetur Christi caro, qua velabatur divinitas Ejus, sicut velo velabatur Deus sedens super cherubim in Sancto Sanctorum.

3. *Domine, si Tu es,* in quo solo spes mea et gaudium meum, *jube me ad Te venire super aquas* (Mt. 14, 28) tentationum, difficultatum, adversitatum. »Ne permittas me separari a Te," praesertim in hac tentatione, in hoc casu....

II. Constantiae exercitia (v. 22—25).

1. Sunt quattuor: fides plena, cum sinceritate cordis et munditia conscientiae, per baptismum accepta, per sacramentum poenitentiae reddita; spes nixa fidelitati divinae, cum professione fidei facta; caritas cum mutua ad bonum excitatione; conjunctio continuata cum Ecclesia, nec ad aliorum exemplum disrupta.

2. Examinabo, num a mane ad vesperam ex fide vivam, in omnibus confidam Jesu, Eum affective et effective amem, verbis, actionibus, exemplis proximum ad bona opera provocare studeam.

3. Jam tot annos clericus, a Deo electus, qui est mea pars hereditatis, et tamen quam

parum spiritualis homo! *Habentes* Jesum, *accedamus.... teneamus.... consideremus.... non deserentes* statum nostrum clericalem, religiosum, sed *consolantes* Ecclesiam et ordinem religiosum sancto zelo nostro!

COLLOQUIUM: adibo Matrem meam eo momento, quo positum est corpus mortuum Jesu in brachiis ejus, et rogabo intuitu hujus velaminis, texti a Matre Virgine cooperante Spiritu Sancto: *a.* ut Jesu inseparabiliter adhaeream et serviam Deo; *b.* ut sequar Eum quocumque ierit; *c.* ut sentiam semper, quod Ipse sentit. *Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.*

Meditatio 84.

Hebr. 10, 26—31.

I. Apostasiae effectus ordinarius est impoenitentia finalis;

26 Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,

II. apostasiae poena gravissima;

27 terribilis autem quaedam exspectatio judicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios. 28 Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione (Deut. 17, 6; Mt. 18, 16; Jo. 8, 17; 2 Cor. 13, 1) duobus vel tribus testibus moritur: 29 quanto magis putatis deteriora mereri supplicia,

III. apostasiae enormitas horribilis.

qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit?

ad II:

30 Scimus enim qui dixit (Deut. 32, 35; Rom. 12, 19): Mihi vindicta et Ego retribuam. Et iterum: quia judicabit Dominus populum suum. 31 Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

Praeludium 1: postquam, ut vidi in priore meditatione, adhortatus est ad constantiam, nunc ab apostasia deterret Hebraeos.

PRAELUDIUM 2: audiam Moysen morientem, in Spiritu Sancto tremula voce cantantem (*Deut. 32, 35*):

mea est ultio, et Ego retribuam
in tempore ut labatur pes eorum:
juxta est dies perditionis
et adesse festinant tempora.

PRAELUDIUM 3: rogabo beatam Mariam Virginem, ut a Jesu, qui venit ut salvos faceret peccatores, et reduceret oves perditas, mihi impetret magnum zelum pro conversione peccatorum, zelum exercendum semper, si non opere, certo oratione et intentione.

TESSERA: »Cor Jesu, victima peccatorum, miserere nobis!"

I. Apostasiae effectus ordinarius impoenitentia finalis (v. 26).

1. In libro Numerorum legimus (15, 27—31): *quodsi anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo: et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam, et demittetur illi. Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium, qui peccaverit ignorantes. Anima vero, quae per superbiam aliquid commiserit, sive civis ille sit, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellio fuit) peribit de populo suo: verbum enim Domini*

contempsit, et praeceptum Illius fecit irritum: idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam. Christus Ecclesiae suae constituit unicam quidem hostiam, sed infiniti valoris, sacrificium Missae. Peccantibus autem voluntarie, apostatis, (nam de iis fit sermo) nulla relinquitur hostia. Quomodo autem salvi fient, nullam jam habentes hostiam qua divinae justitiae satisfaciant? Necesse omnino est ut in sinum Ecclesiae redeant.

2. Cor Jesu apertum est in cruce, ut inde gratiae emanarent, etiam tales, quibus et apostatae adigerentur ad suam pravam mutandam voluntatem; quas gratias ego impetrare possum apostolatu orationis.

3. Motiva ardentis desiderii inveniam perpendendo has voces: Cor — Jesu — victima — peccatorum — miserere — nobis.

II. Apostasiae poena gravissima (v. 27—31).

1. Nam poena erit ignis aeternus, quasi animatus, aemulans zelo gloriae Dei, apprehendens et devorans animas — poena major et severior quam quae in lege olim inflicta — vindicta a Deo, judice irato, sumenda.

2. Conclusio: *horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

3. Examinabo meipsum circa verba Christi (Luc. 12, 4 et 5): *dico autem vobis amicis*

meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete Eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, Hunc timete.

III. Apostasiae enormitas horribilis (v. 29).

1. Quia apostata: *a.* Filium Dei conculcat; *b.* Sanguinem Testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum ducit; *c.* Spiritui gratiae contumeliam facit.

2. Quid magis contemptum indicat quam conculcare aliquem — pretium vitae, ab alio pro se oblatum, quasi pollutum (gr. profanum), seu nullius pretii ducere — contumelia afficere eum in hoc ipso, in quo nobis benefecit!

3. »Cor Jesu, saturatum opprobiis, miserere nobis! — Cor Jesu, attritum propter scelera nostra, miserere nobis!"

Colloquium: mendicabo gratias pro miseris apostatis. Adibo singulos eorum Angelos custodes, ut eos excitent, et Sanctos Patronos, ut merita sua offerant Deo pro conversione pupillorum; pro juvenibus qui in tempore studiorum amittunt fidem implorabo auxilium Beati Petri Canisii (»Beate Pater Canisi, esto protector juventutis, cujus fides et mores

periclitantur." 100 d. i.). Adibo »Refugium peccatorum" ut suscipiat illos miseros in viscera suae misericordiae. Adibo tandem Cor Jesu: flammas amoris opponam igni inferni; vulnus apertum opponam caelo clauso et sententiae judicis irati; ad crucem Cordis divini et sacrificium ab apostatis rejectum ego pro eis confugiam!

Meditatio 85.

Hebr. 10, 32—39.

I. Animum addunt: jam sustenti labores,

32 Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: 33 et in altero quidem, opprobriis et tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socii taliter conversantium effecti. 34 Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis,

II. spes remunerationis,

cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. 35 Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. 36 Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. 37 Adhuc enim modicum aliquantulum (Is. 26, 20), qui venturus est, veniet, et non tardabit.

III. diffidentiae mala.

38 Justus autem meus ex fide vivit: quod si subtraxerit se, non placebit animae meae (Hab. 2, 4; Rom. 1, 17; Gal. 3, 11). 39 Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animae.

Praeludium 1: postquam adhortatus est et deterruit, auctor in fine perorationis secundae partis epistolae animum addit Hebraeis,

in memoriam revocando, quid jam passi sint, quae itaque spes remunerationis, quae tandem diffidentiae mala.

PRAELUDIUM 2: audiam prophetam Habacuc — dolentem de triumpho Chaldaeorum super populum Israel — superne illuminatum, a Deo accipientem nuntium de imminente super Chaldaeos judicio, cui nuntio qui credunt, justi sunt: (Hab. 2, 2, 3, 4): *et respondit mihi Dominus, et dixit: scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eam. Quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur; si moram fecerit, exspecta illum: quia veniens veniet, et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet.*

PRAELUDIUM 3: rogabo per beatam Mariam Virginem ut fructum specialem: magnam fiduciam in conatibus meis progrediendi in via perfectionis.

TESSERA: »Sacrum Cor Jesu, credo tuo erga me amori!" (300 d. t. q.).

I. Jam sustenti labores (v. 32—34ª).

1. *Rememoramini autem pristinos dies*, quando vocavit vos Deus ad statem clericalem, *in quibus illuminati* gratia vocationis, incepistis sustinere *magnum certamen passionum* contra diabolum et mundum et propriam carnem; quomodo in vincendis arduis tentationibus,

opprobriis et tribulationibus spectaculum facti estis Deo, Angelis, hominibus; quomodo relinquendo gloriam, divitias et delectamenta mundi, *rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* — Dein *rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati*, gratiis permultis adjuti, *socii taliter conversantium effecti,* multa sacrificia propter amorem proximi et fraternam caritatem debuistis offerre, et reapse obtulistis; *et vinctis compassi estis*, vinctis tum vinculis peccatorum, tum ignibus purgatoriis, compassi estis orationibus vestris, piis suspiriis vestris, indulgentiis quas applicastis illis, sanctis desideriis vestris et mortificationibus.

2. Recolam verba Christi (Mt. 10, 42): *et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam* — unde eruam conclusiones mihi utiles.

3. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua* (*ps. 137, 7*).

II. Spes remunerationis (v. 34b—37).

1. Illa remuneratio est: melior — manens — substantia — magna — promissa — brevi futura: *mille anni in conspectu Dei, tamquam dies hesterna quae praeteriit (ps. 89, 4).*

2. In omnibus rebus respice finem! — *Confortare igitur et esto robustus valde*, dixit

Dominus ad Josue, *ut custodias, et facias omnem legem. . . . Ecce praecipio tibi, confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quaecumque perrexeris* (*Jos. 1, 7 et 9*).

3. »Sacrum Cor Jesu, in Te confido!" (300 d. t. q.).

III. Diffidentiae mala.

1. Diffidentia displicet Deo (v. 38) et ducit in perditionem (v. 39) sicut fiducia ducit ad salutem (*in acquisitionem*, seu lucrum) animae [= *justus meus ex fide* vivet (gr.) vita aeterna, salvabitur].

2. *Quid timidi estis, modicae fidei?* (*Mt. 8, 26*) Pater Balthasar Alvarez in desolatione maxima orans, aliqua tamen laborabat diffidentia, quasi ratus Deum vix posse velle juvare. Cui Deus: »audivi te, Ego te juvabo, quia et Deus sum et Pater."

3. *Respicite filii nationes hominum: et scitote, quia nullus speravit in Domino et confusus est* (*Eccl. 2, 11*). *Ad Te clamaverunt* patres nostri, *et salvi facti sunt: in Te speraverunt: et non sunt confusi* (*ps. 21, 6*).

Colloquium: a beata Maria Virgine, Matre boni consilii, enixe petam, ut quoties incipio deficere in fiducia, me admoneat pro sua materna bonitate.

Meditatio 86.

Hebr. 11, 1 et 6.

I. Firmitas et obscuritas fidei;

1 Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

II. necessitas fidei;

6a Sine fide autem impossibile est placere Deo.

III. objectum fidei.

6b Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus Se remunerator sit.

Praeludium 1: incipit tertia pars epistolae, quae non est nisi exhortatio ad perseverantiam in fide (quae est fundamentum fiduciae et timoris), maxime per exempla. Primo autem loco describuntur fidei qualitates quaedam, dein ejus necessitas et ejus objectum.

Praeludium 2: constitutio loci erit, videre et audire sacerdotem, post Consecrationem tanti facientem Abelis testimonium fidei, ut eum cum Abraham et Melchisedech tamquam sacrificatorem Deo praeprimis acceptum laudet secundum illud Gen. 4, 4: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Quapropter sacerdos orat, ut Deus »sereno vultu respicere" dignetur »et

accepta habere" Sacrificium Filii sui unigeniti »sicuti accepta habere dignatus est munera pueri" sui »justi Abel"....

PRAELUDIUM 3: rogabo per beatam Mariam Virginem, S. Joannem, et sanctas mulieres, et centurionem, qui Jesu crucifixo et sacrificanti Se, adstiterunt, ut semper renovata et adaucta fidei firmitate quotidie offeram Sacrum Sacrificium Missae.

TESSERA: *adauge nobis fidem* (*Luc. 17, 5*).

I. Firmitas et obscuritas fidei (v. 1).

1. Est autem fides aliquid super omnia firmum et simul obscurum, ita ut ab una parte fundetur motivo absolute verissimo et certissimo, nempe auctoritati Dei, et ab altera parte propter non-evidentiam ejusdem motivi sit meritorium, utpote assensus mentis a voluntate imperatus.

2. Examinabo me circa vivacitatem fidei meae in praesentia Jesu Christi sub panis et vini speciebus. Quid video? Quid credo?

3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua* (*ps. 42, 3*).

II. Necessitas fidei (v. 6a).

1. Fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis. Sic *sine fide .... impossibile est placere Deo.*

2. »Placere" h. l. intelligi potest: vel: ambulare cum Deo, coram Deo; vel placere Deo, vitam ducere praeceptis divinis consentaneam adeoque Deo probatam; — nec unum nec alterum fit sine fide. — Cf. 10, 38 et 39.

3. Gratias agam sinceras et devotas pro vocatione mea ad fidem: *et introibo ad altare Dei: ad Deum qui laetificat juventutem meam. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus* (*ps. 41, 4 et 5*)!

III. Objectum fidei (v. 6b).

1. Ante omnia credere debet homo, Deum esse et Deum remuneratorem esse.

2. Recolam quam multi hodie sint, qui negent primam veritatem, existentiam Dei; quam multi, qui non curent remunerationem spiritualem, et queruntur de Deo, quando in hac vita calamitates immittat.

3. Renovabo fidem et excitabo zelum meum. *Deus meus es Tu, et confitebor Tibi; Deus meus es Tu et exaltabo Te* (*ps. 117, 28*)! *Dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? haec recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei* (*ps. 41, 4 et 5*).

Colloquium: cum Patre misericordiarum et Deo totius consolationis, *qui de tenebris* me *vocavit in admirabile lumen suum* (*1 Petr. 2, 9*)! *Deus Dominus, et illuxit nobis* (*ps. 117, 27*)!

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti laetitiam in corde meo (*ps. 4, 7*)! — Instanter rogabo per Sanctissima Corda Jesu et Mariae, ut *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse* illuceat *in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu* (*2 Cor. 4, 6*).

Meditatio 87.

Hebr. 11, 2—7.

I. Fide credi debet creatio mundi.

2 In hac enim testimonium consecuti sunt senes. 3 Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei; ut ex invisibilibus visibilia fierent (Gen. 1, 3).

II. Fides Abel.

4 Fide plurimam hostiam Abel, quam Caïn, obtulit Deo (Gen. 4, 4), per quam testimonium consecutus est esse justus (Mt. 23, 35), testimonium perhibente muneribus ejus Deo; et per illam defunctus adhuc loquitur.

III. Fides Henoch.

5 Fide Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo (Gen. 5, 24; Eccli. 44, 16). 6 Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

IV. Fides Noë.

7 Fide Noë, responso accepto de iis quae adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suae, per quam damnavit mundum: et justitiae, quae per fidem est, heres est institutus (Gen. 6, 14; Eccli. 44, 17).

PRAELUDIUM 1: considerabo fidem, sine qua intelligere non possum mundi originem, dein considerabo fidem Abel, Henoch, Noë.

PRAELUDIUM 2: videbo Noë — qui primus in sacra Scriptura explicite vocatur justus, et qui credidit promissionem et comminationem divinam (Gen. 6, 17 et 18 descriptam) eventum esse habituram — primo: intrantem arcam cum uxore et filiis et animalibus, reliquis extra relictis adhuc viventibus; et secundo: exeuntem de arca cum uxore et filiis et animalibus, reliquis extra relictis omnibus mortuis; ipsum tamquam novum humani generis patrem.

PRAELUDIUM 3: per beatam Mariam Virginem, dulcem Matrem, stantem sub cruce, rogabo fidem tam firmam, ut, victo vano timore, numquam erubescam confiteri Eum, qui et me confitebitur coram Patre suo qui in coelis est (Mt. 10, 32).

TESSERA: *beati sumus Israël: quia quae Deo placent, manifesta sunt nobis* (*Bar. 4, 4*).

I. Fide credi debet creatio mundi (v. 2 et 3).

1. Antequam majorum nostrorum, qui propter fidem suam bonum testimonium in sacra Scriptura obtinuerunt, exempla adducuntur, animadvertit auctor, ad ipsam mundi originem intelligendam fidem jam requiri, nam fide tantum facile agnoscimus mundum jussu Dei fuisse creatum, et suo ordine dispositum adeo ut

primae res visibiles hujus mundi ortae non sint ex aliis rebus visibilibus, sicut quotidie fieri videmus, sed ex nihilo creatae et miro inter se ordine *aptatae* solo *verbo Dei.*

2. Fide divino-catholica credere debemus »in unum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium."

3. Renovabo fidem et adhaerebo Illi, qui est Creator et creatura simul, Jesu Christo: »ecce haec creatura jucunda, illa fortis; ista pulchra, ea bona; sed incomparabiliter jucundior, simul et fortior, et pulchrior, et dulcior, et omni ratione melior, Tu, o Dilecte, quem diligit anima mea." (Arnoldus). — Qua devotione quotidie post Missam recito »Benedicite"?

II. Abel (v. 4).

1. Deus aliquo signo testatus est, sacrificia Abel Sibi grata fuisse. *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus, ad Cain vero, et ad munera illius non respexit* (Gen. 4, 4, 5). Et Christus locutus est de *sanguine Abel justi* (*Mt. 23, 35*).

2. Quod videns, frater ejus, invidia motus, interfecit eum. Sic quodam sensu Abel mortuus est martyr fidei suae. Discam vitam postponere fidei.

3. *Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea* (*ps. 16, 5*).

III. Henoch (v. 5 et 6).

1. Henoch placuit Deo, quia cum Deo ambulabat,; atqui: nemo placere potest Deo sine fide; ergo: Henoch fidem habuit.

2. Ambulare in praesentia Dei est, continuis actibus fovere fidem, spem et caritatem.

3. *Placebo Domino in regione vivorum* (*ps. 114, 9*). *Trahe me: post Te curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant. 7, 3*). Non obliviscar hoc: *omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles* (*Judith 8, 23*).

IV. Noë (v. 7).

1. Patriarcha ille, dum ex fide, qua Deo credidit, circumspecte agens et timens, aptavit arcam, consecutus est justitiam, quae est per fidem.

2. Recolam, quanta miratio debuisset fieri in populo; unde probabiliter injuriae et vexationes; et discam contemnere respectum humanum.

3. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me* (*ps. 22, 5*).

Colloquium: rogabo Angelum meum custodem, dein Matrem meam Mariam, tandem Dominum meum Jesum Christum tale augmentum fidei ut cum Henoch saepe eliciam actus fidei internos; cum Noë numquam ex falso pudore omittam actus fidei externos; cum Abel aliquid saltem pati desiderem pro fide.

Meditatio 88.

Hebr. 11, 8—19.

I. Fides Abrahae (vide v. 17-19).

8 Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: et exiit, nesciens quo iret (Gen. 12, 1). 9 Fide demoratus est in terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac et Jacob coheredibus repromissionis ejusdem. 10 Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex et conditor Deus.

II. Fides Sarae.

11 Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam praeter tempus aetatis: quoniam fidelem credidit esse Eum qui repromiserat (Gen. 17, 19). 12 Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emortuo) tamquam sidera coeli in multitudinem, et sicut arena quae est ad oram maris, innumerabilis.

III. Fides patriarcharum.

13 Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram, 14 qui enim haec dicunt, significant se patriam inquirere.

15 Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: 16 nunc autem meliorem appetunt, id est caelestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.

ad I. 17 Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones (Gen. 22, 1; Eccl, 44, 21); 18 ad quem dictum est: quia in Isaac vocabitur tibi semen (Gen. 21, 12; Rom. 9, 7): 19 arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus: unde eum et in parabolam accepit.

Praeludium 1: considerabo, quomodo Abraham, et patriarchae Abrahae posteri fide excelluerint.

Praeludium 2: constitutio loci erit, videre tabernaculum Abrahae in Mambre ubi apparuerunt tres viri, quorum unus Jahwe appellatur. Audiam hunc reprehendentem Sarae incredulitatem et praedicentem, eam filium esse parituram. Praecipue haec Domini verba penitus inhaerere faciam menti meae; *numquid Deo quidquam est difficile* (*Gen. 18, 14*)?

Praeludium 3: rogabo beatam Mariam Virginem, ut augeatur fides mea in Deum »Patrem — omnipotentem."

Tessera: (saepe ruminando conabor sensum intimum percipere verborum beatae Mariae): *suscepit Israel puerum suum recordatus mise-*

ricordiae suae. Sicut locutus est ad Patres nostros, Araham et semini ejus in saecula.

I. Fides Abrahae (v. 8—10 et 17—19).

1. Primo in relinquendo patriam; secundo in expectanda pro posteris suis possessione terrae sibi promissae; tertio in immolando filio. In primo casu fides Abram in eo posita erat, quod, quamquam initio ignorabat, quaenam regio ipsi petenda esset (Gen. 12, 1) et quamquam, cum deinceps in terram Chanaan proficisci a Deo jussus esset (Gen. 12, 5) huius regionis naturam et indolem non habebat cognitam, tamen obedivit Deo Chaldaeamque reliquit, quia ei persuasum erat, Deum esse provisurum. Terram porro ipse tamquam advena non nisi ut alienam, nomadum more peragrabat, fide firma exspectans id quod sibi Deus (Gen. 12, 7) promiserat: *Semini tuo dabo terram hanc.* — In immolando tandem filio super omnia excellens fuit Abrahae fides quod credidit, Deum, ut promissa servaret, etiam filium a morte in vitam revocare posse.

2. Discam in spiritu fidei obedire et sacrificia ferre, etiamsi fructus futuros esse non videam.

3. *Qui credit Deo, attendit mandatis: et qui confidit in Illo non minorabitur* (*Eccl. 32, 28*).

II. Fides Sarae (v. 11 et 12).

1. Sara initio quidem non credidit promissionem; sed postquam cognovit viros illos esse legatos Dei, adeoque Deum omnipotentem, qui fallere non potest, per ipsos hanc conceptionem sibi promisisse, tunc credidit.

2. Discam *a*. numquam esse *modicae fidei; b*. etiamsi fuerim aliquando *modicae fidei*, nolle putare, Deum ideo mutaturum esse consilium suum, sed eo fortius credere, quo magis anteriorem meam incredulitatem et superbiam et imbecillitatem agnoscam.

3. *Adhaesi testimoniis tuis Domine: noli me confundere* (*ps. 118, 31*).

III. Fides patriarcharum (v. 9, 10 et 13—16).

1. Sicut ipse Abraham, sic et posteri ejus patriarchae *in casulis* habitantes, notionem quoque habentes immortalitatis animarum et caelestis beatitatis, expectant *fundamentum habentem civitatem*, caelestem Jerusalem, (12, 22; 13, 14) — ideoque confitentur, *quia peregrini et hospites sunt super terram*, inquirentes patriam, non terrestrem, quia eo revertendi opportunitatem habebant, sed caelestem.

2. Et tamen Christus nondum venerat, ut diceret: *in domo Patris mei mansiones multae sunt; si quo minus, dixissem vobis locum* (*Jo. 14, 2*). — Vide, quam bonus Deus, Rex

caelestis, qui eos propter eorum fidem non reputavit indignos, quorum Deus vocaretur, sed tanquam sui ipsius concives eos habuit. *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob* (*Exod. 3, 6, 15*). Quantopere fide sua majorem Dei gloriam externam procuraverunt per saecula!

3. »O supernae civitatis mansio beatissima! O dies aeternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat; dies semper laeta, semper secura, et numquam statum mutans in contraria! .... Jesu bone, quando stabo ad videndum Te? quando contemplabor gloriam regni tui? quando eris mihi omnia in omnibus?" (Imit. 3, 48).

COLLOQUIUM: cum Maria. Dicam ei: *beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino* (*Luc. 1, 45*). Rogabo fidem promptam, practicam, indefectibilem, ad caelestia elevantem mentem meam.

Meditatio 89.

Hebr. 11, 20—22.

I. Fides Isaac. 20 Fide et de futuris benedixit Isaac Jacob et Esau (Gen. 27, 27, 39).

II. Fides Jacob. 21 Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit (Gen. 48, 15): et adoravit fastigium virgae ejus (Gen. 47, 31).

III. Fides Joseph. 22 Fide Joseph, moriens, de profectione filiorum Israël memoratus est, et de ossibus suis mandavit (Gen. 50, 23).

PRAELUDIUM 1: meditabor de fide Isaac et Jacob et Joseph, manifestata in eorum benedictionibus.

PRAELUDIUM 2: videbo Matrem meam Mariam, jam cum corpore in caelo beatam.

PRAELUDIUM 3: rogabo per ejus intercessionem, ut corpus meum mortificatione aptem beatitudini caelesti, praecipue hac .... mortificatione mihi tam necessaria ....

TESSERA: *cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (*ps. 83, 3*).

I. Fides Isaac (v. 20).

1. Vide locum, personas, facta; audi verba! Ecce Jacob (Gen. 27) matris consilio benedictionem accipiens loco Esau: (v. 28 et 29) *det tibi Deus de rore caeli et de pinguetudine terrae, abundantiam frumenti et vini. Et serviant tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae: qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* — Vide Esau intrantem, patrem expavescentem, Esau lacrymantem et clamantem, aliquam saltem benedictionem mendicantem: (v. 38—40) *cumque ejulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum: in pinguetudine terrae, et in rore coeli desuper, erit benedictio tua. Vives in gladio, et fratri tuo servies: tempusque veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis.*

2. Fides Isaac ex eo elucet quod quamvis in aliena terra consedisset, nihil in ea possidens, sola tamen Dei promissione fretus, filiis suis in tempora longe futura tam ampla beneficia promiserit. — Sic et fide ego corpori meo promitto gaudiosam resurrectionem, modo in hac vita obediat menti Deo dicatae.

3. *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*ps. 26, 13*). — Oppone *bona Domini* bonis mundi, carnis, diaboli; et fac propositum aliquod circa hoc vel illud exercitium mortificationis.

II. Fides Jacob (v. 21).

1. Videbo historiam et audiam verba: *a.* Jacob, adoptans Manassen et Ephraim, filios filii sui Joseph, (Gen. 48, 14) *extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris*, (qui a patre Joseph positus erat sub sinistra manu Jacob). *Videns autem Joseph... apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, et transferre super caput Manasse*, sed pater Jacob renuit. — *b.* (*Gen. 47, 29—31*) *cumque appropinquare cerneret diem mortis suae, vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum: si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: et facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Aegypto: sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de terra hac, condasque in sepulchro majorum meorum. Cui respondit Joseph: ego faciam quod jussisti. Et ille: jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput* (*et adoravit fastigium virgae ejus*).

2. Jacob senio confectus adorationis causa se inclinans egebat fulcro baculi sui, vel Josephi, in quo baculo Josephi considerans typum sceptri regni Messiae, eum adoravit et sic fidem suam in Messiam professus est. — Sic *a.* firma fide credens, vota sua eventum esse habitura, benedixit Josephi filiis, et *b.* firma fide credens,

Josephum sponsionem esse servaturum, Deo gratias egit. — Sic et ego fide plenus, in corporis calamitatibus et quotidianis mortificationibus benedicam corpori meo propter similitudinem cum corpore Jesu — et fide plenus gratias agam pro resurrectione corporum, humano generi promissa.

3. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo* (*Job. 19, 25—27*). — Nil tam facilem reddit mortificationem quam laetitia spiritualis.

III. Fides Joseph (v. 22).

1. Joseph *locutus est fratribus suis: post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac, et Jacob. Cumque adjurasset eos atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est.* (Gen. 50, 23—25).

2. Cum mandatum, ut ossa sua asportarentur, dare non posset, nisi crederet promissioni divinae Israelitas terram Canaan possessuros esse, patet fides ejus. — Sic et ego, credens necessitati mortificationis, in sacra Scriptura fundatae, promitto corpori meo jam in hac

terra partialem beatitudinem, quia eo felicior totus homo, quo partes ejus perfectius subordinatae sunt.

3. *Qui diligit filium suum, assiduet illi flagella, ut laetetur in novissimo die* (*Eccli. 30, 1*). Idem valet de corpore: *qui diligit* corpus suum, *etc.* — Hoc loco perpendam tres rationes ad exercendam mortificationem: resurrectionem corporis — similitudinem cum corpore Jesu — rectam ordinationem omnium facultatum corporis et animi.

Colloquium: »O Domina mea! o Mater mea! tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum: quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam."

Meditatio 90.

Hebr. 11, 23—31.

I. Fides parentum Moysis.

23 Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem (Exod. 2, 2), et non timuerunt regis edictum (Exod. 1, 17).

II. Fides Moysis.

24 Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis (Exod. 2, 11), 25 magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, 26 majores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. 27 Fide reliquit Aegyptum, non veritus animositatem regis: invisibilem enim tamquam videns sustinuit. 28 Fide celebravit pascha, et sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva, tangeret eos (Exod. 12, 21).

III. Fides populi Israel.

29 Fide transierunt mare Rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Aegyptii, devorati sunt (Exod. 14, 22). 30 Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem (Jos. 6, 20).

IV. Fides Rahab.

31 Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace (Jos. 2, 5).

PRAELUDIUM 1: considerabo quattuor exempla magnae fidei conjunctae cum magna fiducia.

PRAELUDIUM 2: videbo historiam; domum, ripam, flumen, in quo fiscella in papyrione. *Egressus est post haec vir de domo Levi: et accepit uxorem stirpis suae. Quae concepit, et peperit filium: et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carecto ripae fluminis, stante procul sorore ejus, et considerante eventum rei. Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine: et puellae ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quae cum vidisset fiscellam in papyrione, misit unam e famulabus suis: et allatam aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait: de infantibus Hebraeorum est hic. Cui soror pueri: vis, inquit, ut vadam et vocem tibi mulierem hebraeam, quae nutrire possit infantulum? Respondit: vade. Perrexit puella, et vocavit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis: accipe, ait, puerum istum, et nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, et nutrivit puerum: adultumque tradidit filiae Pharaonis. Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens: quia de aqua tuli eum* (*Exod. 2, 1—10*).

PRAELUDIUM 3: rogabo Matrem meam

Mariam, ut nunquam deficiam in credendo ejus maternae bonitati et sperando ejus auxilia materna, praecipue in hac re....

TESSERA: »Monstra te esse Matrem.''

I. Parentes Moysis (v. 23).

1. Veteres putabant eos homines formae praestantia pollere, qui diis imprimis cari et ad magna destinati erant; sic parentes Moysis, eximiam pulchritudinem sui infantis videntes, spreto Pharaonis jussu, occultabant puerum, dein exponebant, certo sperantes eum singulari providentia divina servatum iri. Spes haec ideo tanta, quia fundata erat firmae fidei futurae liberationis Israel a Deo promissae.

2. Discam exemplo parentum Moysis in praxin deducere quod admonet S. Ignatius Loyola: »Haec prima sit agendorum regula: sic Deo fide, quasi rerum successus omnis a te, nihil a Deo penderet: ita tamen iis operam omnem admove, quasi tu nihil, Deus omnia solus sit facturus.''

3. *Sub umbra alarum tuarum protege me: a facie inimicorum qui me afflixerunt* (*ps. 16, 8*).

I. Moyses (v. 24—28).

1. Cujus fides elucet eo quod firmiter credens promissa Dei Patribus data eventum habitura et Israelitas in Canaan perventuros esse, primo: noluit haberi filius filae Pharaonis

(v. 24); secundo: elegit exsilium, longinquam peregrinationem, itineris incommoda (v. 25); tertio: praetulit aerumnas et calamitates, quibus Israel, praesignificans Christum, premebatur *thesauro Aegyptiorum* (v. 26); quarto: credidit verbo Domini praedicentis plagam primogenitorum Aegypti et liberationem Hebraeorum per sanguinem agni (v. 28); quinto: in summis rerum angustiis constans fuit, cum quasi oculis sibi praesentem videret Deum invisibilem.

2. Applicabo haec quinque: primo professioni fidei; secundo electioni ad statum clericalem; tertio omni negotio, quod in hoc statu minus jucundum est; quarto Eucharistiae, ut medio amovendi omnem defectum; quinto perfectioni, ad quam tendere debeo.

3. *Beatas vir cujus est auxilium abs Te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (*ps. 83, 8—6*).

III. Filii Israel (v. 29 et 30).

1. Fidem habentes Deo ac verbis Moysis mare rubrum transierunt. Fidem habentes Deo ac verbis Josue septem diebus circumibant cum arca foederis et tubis sacerdotalibus urbem Jericho, nec sine successu.

2. Si heroes, de quibus supra, non possum imitari, imitabor saltem rudem populum, qui per fidem superavit mare rubrum. Si enim pari cum eo sim fide, parem fidei fructum percipiam; ut scilicet fide Christi et spe aeternae retributionis animatus, fortiter exsilia, rapinam, et acerba quaeque pro fide Christi tolerem; itaque non per mare rubrum in Canaan, sed per Christi baptismum, fidem et patientiam in caelum penetrem, ibique aeternas opes et praemia nanciscar (Corn. a Lap.).

3. *Dominus autem mecum est quasi bellator fortis* (*Jer. 20, 11*).

IV. Rahab (v. 31).

1. Credidit Deum Israelitis possidendam daturum esse terram Canaan.

2. Fides haec fecit eam prudentem et pacifico animo erga exploratores. Sic et me faciet fides mea prudentem in rebus humanis.

3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo et ne innitaris prudentiae tuae.* (*Prov. 3, 5.*)

Colloquium: O Mater boni consilii, monstra te esse Matrem Jesu et Matrem meam; consiliis tuis adjuva me, ut ne uno quidem momento vitae meae deficiam fide et fiducia, quibus adjutus alacri animo sequar Jesum quocumque ierit.

Meditatio 91.

Hebr. 11, 32—40.

I. Tot alii excelluerunt fide;

32 Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et prophetis:

II. ex fide magna opera perfecerunt;

33 qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, 34 extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: 35 acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.

III. graves labores sustinuerunt,

Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. 36 Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres: 37 lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, augustiati, afflicti: 38 quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terrae.

IV. quamvis dilata mercede.

39 Et hi omnes testimonio fidei probati: non acceperunt repromissionem, 40 Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

PRAELUDIUM 1: fortiter me excitabo ad augmentum fidei considerando viros, qui in ea excelluerunt, opera quae ex fide fecerunt, labores, quos ex fide tulerunt, et haec omnia dum remotissimi erant a remuneratione.

PRAELUDIUM 2: videbo Jesum ambulantem super mare, Petrum ad Eum venientem, qui *videns vero ventum validum, timuit: et cum coepisset mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum et ait illi: modicae fidei, quare dubitasti?* (*Mt. 14, 30 et 31*)

PRAELUDIUM 3: omnes sanctos quorum fidem admirabor, invoco, ut mecum per intercessionem beatae Mariae Virginis mihi impetrant auxilium, quo omnia quotidiana mea opera in spiritu fidei peragam, et si incipio diffidere, statim ad Jesum confugiam.

TESSERA: *credo Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Mr. 9, 23*).

I. Tot alii excelluerunt fide (v. 32).

1. Gedeon credidit Deo, sibi et suis promittenti victoriam de Madianitis, eamque ob-

tinuit. Barac credidit Deborae, nomine Dei mandanti, ut pugnaret contra Sisarem; eundem instar fulminis profligavit. Samson, Jephte, David, Samuel et alii fide, qua credebant Deo, excitanti ad proelium contra hostes populi Dei, eosdem prostraverunt.

2, »Fili, vita fidei quosdam veluti gradus habet, quorum primus est, cum homo, superna adjutus gratia, ob auctoritatem divinam, mihi, per Ecclesiam loquenti, credit, atque in statu gratiae vivit." (Arnoldus).

3. Examinabo me, gratias agam, veniam petam.

II. Ex fide magna opera perfecerunt (v. 33—35ª).

1. Per fidem vicerunt regna — operati sunt justitiam — adepti sunt repromissiones — obturaverunt ora leonum (Samson, David, Daniel) — extinxerunt impetum ignis (socii Danielis) — effugerunt aciem gladii (Moyses, David, Elias) — convaluerunt de infirmitate (Job, Tobias, Ezechias) — castra verterunt exterorum (David, Machabaei) — acceperunt (Sunamitis et vidua Sareptana) filios suos resuscitatos a prophetis.

2. »Est secundus vitae fidei gradus, cum omnes actus voluntarii, tam interiores quam exteriores, principiis vivae fidei animantur." (Arnoldus).

3. Examinabo me, gratias agam, veniam petam, auxilium postulabo.

III. Graves labores sustinuerunt (v. 35b—38).

1. Eleazar et fratres Machabaei cum matre sua ab Antiocho Epiphane dire cruciati sunt, quamvis uno verbo liberari potuissent. — Jeremias, excidium Hierosolymorum minans, probra, alapas, verbera, famem, carcerem sustulit, saepius reus mortis proclamatus, tandem lapidatus est. — Micheas praedicens cladem Achab regi, ab eo in vincula conjectus, et a pseudopropheta irrisus et verberatus est. — Lapidati sunt Nabot et Zacharias, filius Joiadae pontificis. — Secti sunt fratres Machabaei. — Tentati sunt Job calamitatibus, prophetae sub Jezabel exsilio, Abraham per obedientiam. — In occisione gladii mortui sunt, verbi gratia, sub Antiocho *toto triduo octoginta millia* (*2 Mach. 5, 14*). — Notae sunt mortificationes et paupertas Eliae, Elisaei, Joannis Baptistae. — Adde, quae pertulerint primi Christiani.

2. »Multos autem eorum, quos ad eximiam voco sanctitatem, sensim ad fidem puram praeparare soleo. Estque haec fides pura tertius vitae fidei gradus, in quo quis ex fide perfecta vitam ducit penitus supernaturalem, atque etiam in medio tenebrarum ac tentationum, sequens modo quasi caeco facem fidei sub obedientia, Mihi fideliter servit, etiamsi neque videat neque conscius sit, utrum necne Mihi serviat." (Arnoldus).

3. »Tu non poteris quod isti et istae? An vero isti et istae in semetipsis possunt et non in Domino Deo suo?" (S. Aug. Conf. 8, 11, 27).

IV. Quamvis dilata mercede (v. 39 et 40).

1. Illi qui in sacra Scriptura propter fidem suam tam eximium *testimonium consecuti sunt* (*v. 2*), non statim post mortem acceperunt promissum caelum, sed debuerunt expectare Christum morte et ascensione sua aperientem caelum, quo insuper corpora eorum non ante nos intrabunt. Atque ita Deus nobis meliorem conditionem concessit.

2. Addam hoc loco media gratiae, quae ego quotidie accipio per Eucharistiam.

3. *Scio cui credidi* (*2 Tim. 1, 12*)!

Colloquium: cum iis qui mihi tam pulchra exempla fortis fidei praebuerunt — Repetam petitionem meam ante »Sedem Sapientiae". — Rogabo Jesum cum Apostolis: *Adauge nobis fidem* (*Luc. 17, 5*). — Concludam recitando »Pater noster".

Meditatio 92.

Hebr. 12, 1—11.

I. Ad patientiam excitant exempla Patrum,

1 Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, (Rom. 6, 4; Eph. 4, 22; Coloss. 3, 8; 1 Petr. 2, 1 et 4, 2) deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen:

II. exemplum Christi,

2 aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. 3 Recogitate enim Eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.

III. exhortatio sacrae Scripturae.

4 Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes: 5 et obliti estis consolationis, quae vobis tamquam filiis loquitur, dicens: (Prov. 3, 11; Apoc. 3, 19) fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab Eo argueris.

6 Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. 7 In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? 8 quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, et non filii estis. 9 Deinde patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? 10 Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. 11 Omnis autem disciplina, in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae.

Praeludium 1: excitabo me ad patientiam ex triplici motivo.

Praeludium 2: audiam Jesu mihi dicentem: *usque in tempus sustinebit patiens, et postea reddito jucunditatis* (*Eccli. 1, 29*).

Praeludium 3: rogabo per beatam Mariam Virginem augmentum virtutis patientiae, nempe illius virtutis, quae animum adversus mala hujus vitae firmat.

Tessera: *Domine fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis* (*Jer. 16, 19*).

I. Ad patientiam excitant exempla Patrum (v. 1).

1. Sancti illi, quorum fides nobis in exemplum proponitur, nos magno numero circumdant, quasi testes et applausores certaminis nostri, exspectantes futuram consummationem, quam non sine nobis accipient.

2. Luctaturus cursu in stadio primo deponit omne quod inutiliter onerat: sic nos peccatum. Dein opus est constantia, patientia, ne media via deficiamus, sed ut ad metam perveniamus: *sic currite ut comprehendatis* (*1 Cor. 9, 24*).

3. Saepe renova firmum propositum, numquam plena deliberatione peccandi, quidquid injucundi accidit. Mirum est, quantopere augeatur patientia ejus, qui, in adversis constitutus, adeat, saltem spiritu, sanctissimam Eucharistiam, rogans ut Deus faciat, quodcumque Sibi placeat, dummodo ne sinat eum labi in peccatum.

II. Exemplum Christi (v. 2 et 3).

1. In longo et difficili vitae cursu, in participatione *crucis* Christi, in *confusione* et *contradictione* semper aspice *in auctorem fidei et consummatorem Jesum,* divinum exemplar patientiae et perseverantiae.

2. Considerabo quid Jesus contempserit (v. 2), sustinuerit (v. 2, 3), promeruerit (v. 2).

3. *Vivit Dominus, et vivit dominus meus*

rex: quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus (*2 Reg. 15, 21*).

III. Adhortatio sacrae Scripturae (v. 4—11).

1. *Prov. 3, 11: disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias cum ab Eo corriperis: 12: quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.*

2. Post exempla Patrum et exemplum Jesu Christi, tertium motivum patientiae est: optimus finis in quem Deus nos immittit adversitates, nempe ut paterne emendet et erudiat nos (vs. 7 et 8), potiore jure quam parentes (v. 9), et melius quam pater (v. 10); ergo utillissime (v. 11).

3. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job. 1, 21*).

Colloquium: rogabo augmentum amoris Jesu et Mariae, ut cum Jesu et Maria fortiter patiar hoc vel illud ... »Fac ut ardeat cor meum. — In amando Christum Deum, — ut sibi complaceam. — ... Juxta crucem tecum stare. — Et me tibi sociare. — In planctu desidero."

Meditatio 93.

Hebr. 12, 12—24.

I. Media ad constantiam et patientiam: agenda,

12 Propter quod, remissas manus et soluta genua erigite: 13 et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. 14 (Rom. 12, 8) Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum:

cavenda;

15 contemplantes ne quis desit gratiae Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. 16 Ne quis fornicator, aut profanus (Gen. 25, 33) ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua: 17 scitote enim quoniam (Gen. 27, 38) et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.

II. Legis mosaicae conditio;

18 (Exod. 19, 12 et 20, 21) Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, 19 et tubae sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. 20 Non enim portabant quod

dicebatur: (Exod. 19, 13) et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. 21 Et ita terribile erat quod videbatur, Moyses dixit: exterritus sum, et tremebundus.

III. Legis evangelicae praestantia.

22 Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem caelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, 23 et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, 24 et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.

Praeludium 1: excitabo me ad constantiam in bono, considerando quae agenda, quae cavenda sint, quae lex timoris, quae amoris sit.

Praeludium 2: videbo castra Israelitarum prope montem Sinai, Moysen jussu Dei ascendentem in montem, Ejus dein referentem monita ad sanctificationem populi. Deinde populum, phaenomenis naturae terribilibus perterritum, ad montis radicem a Moyse Deo obviam ductum. Toto monte fumante, in symbolum divinae ac regiae majestatis, buccinae sonitu crescente, Dominus Deus, ab Angelis stipatus, inter fulgura et tonitrua descendit in igne et promulgat Decalogum. (Exod. 20, 20, 18—20): *Cunctus autem populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinae, montemque fumantem: et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi:*

Loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Et ait Moyses ad populum: nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis.

PRAELUDIUM 3: per beatam Mariam, Virginem prudentissimam, rogabo hunc fructum specialem, ut proposita ultimi sacri secessus, vel ultimae diei recollectionis, firmiter et constanter exsequar.

TESSERA: *confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis* (*ps. 67, 29*).

I. Media ad constantiam et patientiam (v. 12—17).

1 et 2. Agenda quaedam: v. 12: excussa socordia, strenue incohandum, juxta illud: *Confortate manus dissolutas et genua debilia roborate* (*Is. 35, 3; cf. Eccli. 25, 32 et Deut. 32, 36*) — v. 13: recto tramite et firma alacritate pergendum, juxta illud: *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*ps. 118, 32*) — v. 14: paci cum omnibus et pietati cordis studendum, juxta illud: *Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo, et fac bonum: inquire pacem et persequere eam* (*ps. 33, 12—15*).

Cavenda alia: v. 15: ne propria culpa a gratia divina recedam: *ne projicias me a facie tua et spiritum sanctum ne auferas a me* (*ps. 50, 13*); v. 15: ne quis sit inter nos, qui tamquam radix, cujus fructus est amaritudo, germinet ac pullulet fructus amaros vitiosorum operum aut perversorum dogmatum, quibus unitas vestra turbetur: *ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro: ut vadat et serviat diis illarum gentium: et sit inter nos radix germinans fel et amaritudinem* (*Deut. 29, 18*). — v. 16 et 17: nec sit scortator, nec sacrorum negligens, nec ventri deditus, ad morem Esau, primogenita sua pro vili esca vendentis et levitatis hujus mox frustra poenitentis; a nullis enim peccatis tantopere abhorrere debet clericus quam ab iis quae sunt contra castitatem et contra cultum externum Deo debitum et contra temperan- in cibo potuque.

3. Examinabo me circa singula facienda et cavenda et faciam propositum.

II. Legis Mosaicae conditio (v. 18—21).

1. Ejus promulgatio facta est cum apparatu magno et portentoso sed sensibili et materiali (v. 18 et 19) ideoque conjuncta fuit cum terrore auditorum et promulgatoris ipsius (v. 20 et 21).

2. »Legis enim et Evangelii differentia est timor et amor.'' (S. Aug.) Compara montem Sinai cum monte octo beatitudinum (Mt. 5; Rom. 8, 15; Gal. 4, 6 et 7).

3. Rogabo Deum, ut sanctus timor ejus me conservet contra peccatum. (Ecci. 40, 28): *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.*

III. Legis Evangelicae praestantia (v. 22—24).

1. Patet: ex origine caelesti et Angelorum consortio (v. 22), ex communione beatorum et Dei praesidio (v. 23), ex Christi meditatione et interventu (v. 24).

2. Ecclesia est praeambulum caeli, sic descripti apud Is. 25, 6—9: *et faciet Dominus excercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae. Et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. Praecipitabit mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, expectavimus Eum, et salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus Eum, exsultabimus et laetabimur in salutari Ejus.*

3. Num saepe cogito caelum, finem meum? O Sacerdos, oppone sanguinem Abel (v. 24) sanguini Jesu: »cum in altari Christus immolatur, clamat idem Redemptor ad Patrem, corporaliter suas cicatrices ostendens" (S. Laur. Just.).

COLLOQUIUM: cum optimo Domino nostro Jesu, ut numquam ab Eo separemur, sed ab Eo fortificati, constantes simus in bono.

Meditatio 94.

Hebr. 12, 25—29.

I. Motiva sancti timoris: punitiones sub vetere lege,

25 Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de caelis loquentem nobis avertimus.

II. majus beneficium novae legis,

26 Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: (Agg. 2, 7) adhuc semel; et Ego movebo non solum terram, sed et caelum.

III. quo majus numquam dabitur,

27 Quod autem: »adhuc semel", dicit: declarat mobilium translationem tamquam factorum, ut maneant ea quae sunt immobilia. 28 Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia.

IV. a Deo, qui adhuc ut ignis punit.

29 (Deut. 4, 24). Etenim Deus noster ignis consumens est.

Praeludium 1: excitabo me ad magnum desiderium doni timoris.

Praeludium 2: videbo »visu imaginationis longitudinem, latitudinem et profunditatem inferni" (Ex. Sp. 1 habd. exc. 5).

Praeludium 3: rogabo beatam Mariam Virginem, sponsam Spiritus Sancti, ut mihi im-

petret donum timoris, quo reverentiam erga Deum conjungam cum fuga mali quod a Deo separat.

TESSERA: *laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (i. e. in timore nominis tui) (*ps. 85, 11*).

I. Motiva sancti timoris: punitiones sub vetere lege (v. 25).

1 Recole quasdam punitiones: ecce populus percussus *plaga magna nimis* (*Num. 18, 33*) propter carnium concupiscentiam; soror Moysis ob murmurationem *candens lepra quasi nix* (*Num. 12, 10.*); omnes murmuratores morti in deserto addicti, non visuri *terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit Mihi, intuebitur eam* (*Num. 14, 23*); Core, Dathan, Abiron vivos terra absorbens; ignis interficiens 250 viros offerentes incensum; et alios 14700 murmurantes consumens incendium (Num. c. 16); serpentes in populum immissi, quia murmurabant ob itineris taedium, aquae penuriam, mannae nauseam (Num. c. 21); ob fornicationem pereuntes e plebe 24 millia (Num. c. 25).

2. *Videte ne recusetis* Deum, per Christum *loquentem!* Quod dixerunt Israelitae prope montem Sinai: *non loquatur nobis Dominus*, typice significabat quod futurum erat; non enim servaverunt postea legem a Deo de monte Sinai per Moysen, hominem, promul-

gatam. Quomodo nos effugiemus iram Dei, qui de caelo, de spirituali monte Sion, per Filium suum, Deum-Hominem, oracula dedit!

3. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum et pondus Ejus ferre non potui* (*Job 31, 23*). Quis sum ego, tantillus homo, tantus peccator! Quid si hoc momento morerer! . . . .

II. Nova lex est majus beneficium (v. 26).

1. Iterum ob oculos ponam spectaculum, in 2°. praeludio descriptum.

2. Instituens novam religionem Deus per Christum amovit quae amoveri poterant: abrogavit enim transitorias figuras, adeo ut post hoc nihil supersit, quod destructioni subjaceat. Etiam hoc sensu movit caelum et terram, quod caelum nobis aperuit, et constitutus est rex mundi et judex hominum, qui judicabit vivos et mortuos, detrudet in infernum, vel assumet in caelum.

3. *Quis non timebit Te, o rex gentium? tuum est enim decus: inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis Tui.* (*Jer. 10, 7*).

III. Quo majus numquam dabitur (v. 27 et 28).

1. Ex v. 26 sequitur, religionem Christi esse stabilem et perpetuam, immutabilem et aeternam.

2. *Itaque* legem Evangelicam, per quam Christus regnat in nobis, *suscipientes*, gratias agentes conemur placere Deo *metu et reverentia*.

3. Eliciam actus gratitudinis, reverentiae, horroris peccati.

IV. A Deo, qui adhuc ut ignis punit (v. 29).

1. Deus instar ignis flagrantissimi, legis suae violatores in momento urere, torquere et consumere potest. — Cogita infernum post subitaneam mortem.

2. *Praeparata est enim ab heri Topheth, a rege praeparata, profunda et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam* (*Is. 30, 33*).

3. Gratias agam, quod pepercit mihi Deus ab igne inferni, vel praeservando me a peccato mortali, vel tempus et gratiam praebendo resurgendi a lapsu. Rogabo ut moriar potius quam graviter peccem: Rex tremendae Majestatis, qui salvandos salvas gratis, salva me, fons pietatis!"

Colloquium: cum Angelo meo custode, et sancto Patrono, et Matre mea Maria a Spiritu Sancto petam humiliter et instanter donum timoris Dei.

Meditatio 95.

Hebr. 13, 1—7.

I. Fraterna caritas,

1 Caritas fraternitatis maneat in vobis. 2 (Rom. 12, 13; 1 Petr. 4, 9). Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis (Gen. 18, 3 et 19, 2). 3 Mementote vinctorum, tamquam simul vincti; et laborantium, tamquam et ipsi in corpore morantes.

II. castitas,

4 Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.

III. in temporalibus fiducia in Deum,

5 Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus: ipse enim dixit: (Jos. 1, 5) non te deseram, neque derelinquam. 6 Ita ut confidenter dicamus: (ps. 117, 6) non timebo quid faciat mihi homo.

IV. imitatio sanctorum.

7 Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

Praeludium 1: excitabo me ad observanda praecipua quaedam mandata quae sunt optima media conservandi fidem.

Praeludium 2: audiam Jesum, Amicum,

Socium, Protectorem meum mihi dicentem, quod Jahwe dicebat Josue, duci Israel: *non dimittam, nec derelinquam te* (*Jos. 1, 5*).

Praeludium 3: rogabo per beatam Mariam Virginem majorem unionem cum Deo, ut facilius observem mandata.

Tessera: *Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo* (*ps. 117, 6*).

I. Fraterna caritas (v. 1—3).

1. *a.* Debeo considerare proximum meum ut fratrem; *b.* ut hospitem; *c.* major cura postulatur a me pro miseris tum quoad corpus, tum quoad animam.

2. Considerabo Jesum, ad me liberandum, factum esse fratrem meum, hospitem meum, virum dolorum (Is. 53, 3); et facile considerabo in omni homine ad me veniente, ipsum Jesum Christum, majorem angelis illis, quos olim Abraham, Loth, Manue, Tobias *inscii* (gr. pro *latuerunt*) hospitio receperunt.

3. Num mihi applicare possum verba Job (30, 15): *oculus fui caeco, et pes claudo; pater eram pauperum?* — Examinabo vitam meam quotidianam hac in re et emendabo emendanda.

II. Castitas (v. 4).

1. Castitas perfecta est, si quis ab omnibus voluptatibus carnis etiam licitis perpetuo abstinet. De hac perfecta castitate S. Ignatius

Antiochenus scribit in epistola ad Polycarpum: »si quis potest, in castitate ad honorem carnis Christi cum humilitate maneat."

2. Primo recolam, quid mihi, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendo, Pontifex dixerit: »castitatem, Illo adjuvante, servare oportebit." — Si Religiosus sum, recolam votum meum. — Dein hoc: »Fili, thesaurum istum in fragili vase portas: et nisi caute incesseris, facile amittes. Cavendum tamen ne nimis timide incedas; nam ipse timor nimius fit occasio labendi." (Arnoldus).

3. »O Jesu, amator purarum animarum! da mihi, quaeso, ex amore Tui, cum omnibus cordis tui discipulis quam maximi aestimare, quam tenerrime diligere virtutem angelicam, ac quidquid ei adversetur summopere abhorrere." (Arnoldus).

III. In temporalibus fiducia in Deum (v. 5 et 6).

1. Anxiae avaraeque cogitationi eorum, qui semper metuunt egestatem, ideoque nunquam *contenti praesentibus* plura semper expetunt, occurrit auctor verbis citatis in 2°. et 3°. praeludio.

2. Immoderata cura rerum terrenarum et fiducia in Deum sunt inimicae, quae se invicem extenuare conantur. Crescente alia, alia decrescit.

3. *Bonus est Dominus sperantibus in Eum, animae quaerenti Illum* (*Thren. 3, 25*).

IV. Imitatio Sanctorum (v. 7).

1. Quia primi lectores hujus epistolae proclives erant ad defectionem, propterea eos denuo adhortatur ad fidei constantiam, proponens illis exemplum praepositorum, v. g. Sancti Stephani et Sancti Jacobi, qui martyrio vitam consummaverant.

2. Hinc disce nihil utilius esse quam Sanctorum vitam et mortem, juxta consilium Sancti Joannis Chrysostomi, recogitare, animo revolvere, iterum iterumque considerare, ut illorum imitemur vivendi rationem et moriendi modum.

3. Quo animo recolo quotidie in Canone Missae Sanctos ibi commemoratos? Qua devotione recito litanias omnium Sanctorum? Num aliquando lego vitae historiam alicujus Sancti? Quo sensu et fructu in posterum conabor legere lectiones 2^i Nocturni?

Colloquium: instanter rogabo beatam Mariam Virginem, ut mihi impetret majorem unionem cum Jesu (Mater Christi!) in quotidiana vita mea, ut hac unione facilius in proximis amem Jesum (Auxilium Christianorum!), in castitate honorem Jesu carnem (Mater castissima!), a temporalibus me elevem ad Jesum (Sedes sapientiae!), cum Sanctis sequar viam Jesu (Regina Sanctorum omnium!).

Meditatio 96.

Hebr. 13, 8—16.

I. Ecclesiae doctrina semper eadem.

8 Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula. 9 Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci.

II. Ejus sacrificium et cibus sacer proprius.

Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quae non profuerunt ambulantibus in eis. 10 Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculs deserviunt. 11 (Lev. 16, 27). Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. 12 Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

III. Hinc illi soli adhaerendum.

13 Exeamus igitur ad Eum extra castra, improperium Ejus portantes. 14 (Mich. 2, 10). Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

IV. Practica conclusio: professio fidei, opera caritatis.

15 Per Ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini Ejus. 16 Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

PRAELUDIUM 1: de utroque agam maximo dono: verae doctrinae et Eucharistiae.

PRAELUDIUM 2: videbo, quomodo, in die expiationis Hebraeorum, caro vituli et caro hirci, pro Jahwe immolati, extra castra concremarentur (Lev. 16, 27 et 28).

PRAELUDIUM 3: per beatam Mariam Virginem rogabo, ut magis magisque agnoscam magnitudinem utriusque doni Dei, verae doctrinae et Eucharistiae, praecipue ad obtinendum hunc fructum ....

TESSERA: o Jesu, lux mea et fortitudo mea, ne permittas me separari a Te!

I. Ecclesiae doctrina semper eadem (v. 8 et 9a).

1. Singula verba v. 8 et 9 perpendam ad secundum modum orandi.

2. Haeresis est v a r i a, quatenus vel a seipsa aberrat, vel in multas sectas abit; p e r e g r i n a, quatenus extranea et abhorrens a schola veritatis et doctrina Ecclesiae.

3. Gratias agam pro vocatione mea ad fidem; petam gratias uberiores pro conversione hereticorum. — »Gratias, tibi, Domine Jesu, lux lucis aeternae, pro doctrinae sacrae mensa, quam nobis, per servos tuos Prophetas et Apostolos, aliosque doctores, ministrasti.« (Imit. 4, 11).

II. Ejus sacrificium et cibus sacer proprius (v. 9—12).

1. Cur abhorrendum a doctrinis Judaeorum, haereticorum? Quia istae non possunt per suos ritus *stabilire cor*, dare requiem et pacem cordis. *Stabilire cor* homo potest gratia Christi, praesertim in Eucharistia oblata, quam gustare prohibentur Judaei, *tabernaculo* veteri deservientes. — Hoc scilicet praesignificabat sacrificium vituli et hirci in die expiationis, typus sacrificii Christi (9, 12—14, 25 et 26; 10, 19 et 20). Carnes enim harum victimarum sacerdotibus Veteris Legis non tradebantur in cibum sed cremabantur. Et sic Judaei, Veteri Testamento adhuc inhaerentes, sacrificii et cibi sacri christianorum nequeunt esse participes. Concrematio autem *extra castra* (et postea extra portam Urbis) facta praesignificabat Christi crucifixionem et mortem *extra portam* Jerusalem, seu ignominiosam expulsionem et ejectionem ex urbe sancta, qua populus judaïcus, Messiam suum repudians, participationis sacrificii Christi indignum se reddidit. Haec enim violenta et probrosa Christi ejectio repudiationem Messiae non tantum symbolice referebat, sed et facto complebat.

2. Considerabo, quomodo ego quotidie possim *stabilire cor* per gratiam, in Eucharistia oblatam.

3. »Gratias Tibi, Creator ac Redemptor hominum, qui, ad declarandam toti mundo

caritatem tuam, coenam parasti magnam, in qua non agnum typicum, sed tuum sanctissimum Corpus et Sanguinem proposuisti manducandum; laetificans omnes fideles convivio sacro, et calice inebrians salutari, in quo sunt omnes deliciae paradisi, et epulantur nobiscum Angeli sancti, sed suavitate feliciori" (Imit. 4, 11).

III. Hinc illi soli adhaerendum (v. 13 et 14).

1. Christi passio et mors *extra portam* duplicem docet veritatem: primo relinquens urbem docet Ecclesiam suam a Synagoga penitus separandam et sejungendam esse; secundo ignominiosam expulsionem patienter ferens ostendit exemplo suo, discipulis suis similia opprobia eadem patientia esse toleranda. — Unde consilium relinquendae penitus synagogae, etiamsi Judaei id probro ducant (v. 13) — propter remunerationem promissam in caelesti Jerusalem (v. 14).

2. Cum Christo toleremus injurias nobis illatas. Cum Christo tendamus ad alia castra, ad aliam civitatem. Jerusalem caelestem. Cf. 11, 25 et 26.

3. Examinabo me circa haec: »si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est; et si fecerit poenitentiam magnam, adhuc exiguum est; et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longe est; et si habuerit virtutem magnam, et devotionem nimis arden-

tem, adhuc multum sibi deest; scilicet unum, quod sibi summe necessarium est. Quid illud? Ut omnibus relictis se relinquat, et a se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat." (Imit. 2, 11) »Habet Jesus nunc multos amatores regni sui caelestis, sed paucos bajulatores suae crucis.... O quantum potest amor Jesu purus, nullo proprio commodo vel amore permixtus!" (id. ibid.).

IV. Practica conclusio: professio fidei, opera caritatis (v. 15 et 16).

1. Ob tanta beneficia verae doctrinae et Eucharistiae, per ipsum Christum gratias agamus, et laudemus et confiteamur Deum; et, sicut mos erat Judaeorum, ut peractis sacrificiis, ad epulas sacrificales etiam pauperes invitarentur, sic nos non solum per confessionem fidei, sed etiam per caritatem erga proximum gratitudinem nostram ostendamus.

2. *Talibus enim hostiis promeretur* et oblectatur *Deus*, cui non placuerunt holocaumata veteris Testamenti (10, 6)....

3. Examinabo me circa respectum humanum et fraternam caritatem. Quid circa hanc ultimam virtutem statui heri? et quomodo in praxin deduxi?

Colloquium: cum Corde Jesu Eucharistico, ut ex optimo dono suo acquiram fortitudinem exsequendi proposita mea.

Meditatio 97.

Ex Epistola ad Hebraeos passim.

PRAELUDIUM 1: considerabo rationes typicas festi expiationis.

PRAELUDIUM 2: imaginatione attente sequar singulas actiones Pontificis peragentis ceremonias; unde nunc videbo: atrium, Sanctum, Sanctissimum, populum astantem, vitulum, duos arietes, duos hircos.

PRAELUDIUM 3: rogabo intensum amorem gratitudinis, ut per hunc ascendam ad amorem benevolentiae perfectum.

TESSERA: »O Deus, ego amo Te!" (S. Fr. Xav.)

I. Jejunium.

Quinto die ante festum tabernaculorum, a primis vesperis diei noni usque ad vesperas diei decimi Tischri, omnis labor et cibus est interdictus; unicus hic magni jejunii dies est. »Quia et ipse (Christus) pro peccatis nostris vas spiritus sui oblaturus erat in hostiam (Ep. Bern. 7) — Num ad hoc meas mortificationes quotidianas Deo offero, ut similior fiam Jesu Christo, Victimae pro peccatis meis et totius mundi?

II. Pontifex solus.

Hoc die pontifex solus ceremonias peragit, nam totus populus solemniter expiandus est. — *Jesus Christus debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex* (2, 7). — Sic et ego.... num misericors sum et fidelis?....

III. Sacrificium juge.

Pontifex jam per septem dies ad festum se praeparavit, die tertio et septimo lustratus *asperso cinere vitulae* (9, 13) seu vaccae rufae (Num. 19), immixto aquae. Ultimam noctem vigil peregit, mane se lavat, et sacrificium juge offert. — Sic Jesus Christus quotidie se offert in Sacrificio Missae. — Num attente et devote ministro?

IV. Hostia multiplex.

Tum, loto altera vice corpore, vestimentum ordinarium byssinum, tamquam piaculare induit, vitulum pro peccato et arietem in holocaustum pro se et tota famila sacerdotali, duos hircos plane aequales pro peccato et unum arietem in holocaustum pro populo sumit. — Jesus Christus, Dominus noster, èt Pontifex èt unica Victima est; unicum holocaustum, unica hostia, omnia vetera abolens, cf. 7, 27: *hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* — Deus meus et omnia!

V. Destinatio hircorum.

Hircorum alterum Jahwe, alterum Azazeli, i. e. diabolo in deserto habitanti, sorte ante tabernaculum praedestinat. — Christus solus ipse ab aeterno praedestinatus ut èt Patri offerretur èt nostra peccata auferret. *Holocaumata pro peccato non Tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio!* (*10*, *6*, *7*). — »Agnus redemit oves: Christus innocens Patri reconciliavit peccatores" (seq. Miss. Pasch.).

VI. Oblatio vituli.

In confessionem peccatorum suorum et domus suae Pontifex, impositis manibus, immolat vitulum: tum, cum thuribulo aureo et carne Sanctissimum ingressus, thymiama ponit super pruinas, cujus vapor implet oraculum. Regressus in atrium sumit de sanguine vituli, et semel versus propitiatorium, septies autem versus pavimentum ante arcam digito spargit. — *Quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* (*5*, *2*, *3*). — Non sic noster Pontifex: *qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo* (*7*, *27*); *est etenim: sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior*

caelis factus (*7, 26*). — Num conor recitando »Confiteor" elicere contritionem perfectam, ex amore Dei super omnia? Bene praeparatus facile clericus hanc elicit.

VII. Mactatio hirci pro Jahwe.

Hoc modo cum Deo reconciliatus ipse, Pontifex egreditur secundo Sanctissimum, in atrio mactat hircum pro Jahwe, tertia vice ingreditur Sanctissimum, eodemque modo spargit sanguinem. — Pontifex autem Novi Testamenti ut sanguinem suum et merita infinita Deo Patri offerret, ingressus est *amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis* (9, 11), sed *penetravit caelos* (4, 14), et *consedit in dextra sedis magnitudinis in caelis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Dominus et non homo* (8, 1 et 2). Ibi autem *in sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per Semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* (7, 24 et 25). *Introivit* scilicet *in ipsum caelum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* (9, 24) — et sic *consummatus, factus est omnibus obtemperantibus Sibi causa salutis aeternae* (5, 9) et *nobis* omnibus *initiavit viam novam .... in introitum* (gr.) *sanctorum* seu sanctuarii caelestis (10, 19 et 20). — »Sanguis Christi,

inebria me" — »adhaereat visceribus meis".... Qua reverentia tracto calicem Domini? — *Habentes fiduciam*.... (10, 19) *Adeamus*.... (4, 16) .... *fortissimum solatium*.... (6, 18*b*—20*a*); cf. I Joh. 2, 1 s.

VIII. Aspersio sanguinis.

In Sanctuario dein exteriore (seu tabernaculo primo, 9, 2) spargens de sanguine vituli septies versus velum Sanctissimi, et sanguine vituli et hirci mixto illiniens cornua altaris thymiamatis, et septies versus pavimentum ante altare spargens, expiat peccata in Sanctuario commissa. Idem facit in altare holocausti, et reliquum sanguinem ad basin altaris in atrio effundit, quo ritu etiam atrium expiatum est. — *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum Semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* (*9, 13, 14*). — Quoties et quo modo accipio Sacramentum Poenitentiae? Num confitendum et prae ceteris serio corrigendum eligo semper determinatum peccatum veniale? Num me excito semper ad contritionem veram et intensam de peccatis vitae anteactae?

IX. Hircus emissarius.

Vitulo et hirco pro Jahwe oblatis, remanet hircus emissarius et duo arietes. Nunc primo Pontifex ambas manus ponit super caput hirci emissarii et confitens peccata populi, eum, omnibus peccatis filiorum Israel quasi oneratum, homini cuidam, ad hoc parato, in desertum, dominium diaboli, deducendum et de rupe praecipitandum tradit; quo symbolo indicatur, populum esse expiatum a poena peccatorum. — Jesus Christus *languores nostros Ipse tulit, et dolores nostros portavit....* nam *posuit Dominus in Eo iniquitatem omnium nostrum* (*Is. 53, 4 et 6*). — *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (*9, 28*). Gratias agam, et diligam super omnia Salvatorem Jesum.

X. Concrematio extra castra.

Carnes vituli et hirci pro Jahwe immolati, extra castra concremantur — Corpus Jesu, in Missa Patri oblatum, traditur manducandum fidelibus. »O Sacrum convivium!"....

XI. Supplicationes.

In templo pontifex nonnullas orationes et lectiones recitat. — Jesus Christus *in diebus carnis suae, preces supplicationesque ad Eum,*

qui possit Illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (*5*, *7*). — A Jesu in Gethsemane discam artem orandi.

XII. Lationes.

Loto rursus corpore, vestimenta pontificalia induit. En tertiam lotionem. — Sicut unicum Christi sacrificium efficacius est multis sacrificiis Veteris Legis (9, 9—14, 25—28), ita unum baptisma christianum efficacia sua sacramentali immensum praestat omnibus purificationibus judaicis. Quod baptisma innui videtur 10, 22: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda* — Gratias agam ....

XIII. Duo arietes.

Duos arietes pro se et populo in holocaustum offert et adipem priorum sacrificiorum adolet ac tandem pro se et pro populo orat. — *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum* (*7*, *28*). — Attamen, sacerdos humanus, quamquam Christi locum tenens, non solum pro populo sed pro se ipso quoque divinum Sacrificium Novae Legis offerat necesse est.

XIV. Hostia laudis.

Ante sacrificium vespertinum plura sacrificia cum mincha et libamine offeruntur. — *Per Ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini Ejus* (*13, 15*). — Jesus Christus in Sanctissimo Sacramento nobis est incruentum Sacrificium èt eucharisticum èt latreuticum èt satisfactorium èt impetratorium.

Colloquium: cum Jesu, qui est Deus noster, Salvator noster, Pontifex noster, Victima nostra, ut simus humiles, fideles, pii, obedientes, animo grati et amoris, pleni.

Meditatio 98.

Hebr. 13, 17—25.

I. obedientia.

17 Obedite praepositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis.

II. oratio pro invicem.

18 Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus benevolentes conversari. 19 Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. 20 Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Christum, 21 aptet vos in omni bono, ut faciatis Ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram Se per Jesum Christum: cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

III. modestia in sermone.

22 Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis. 23 Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos. 24 Salutate omnes praepositos vestros, et omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. 25 Gratia cum omnibus vobis. Amen.

PRAELUDIUM 1: de obedientia, de oratione pro invicem, de modestia in sermone.

PRAELUDIUM 2: audiam Angelum meum custodem mihi dicentem: *Deum time et mandata Ejus observa: hoc est enim omnis homo* (*Eccles. 11, 13*).

PRAELUDIUM 3: per beatam Mariam Virginem rogabo ut in relationibus meis cum superioribus, cum inferioribus, cum aequalibus mandata Dei observem et abhorream ab omni peccato deliberato.

TESSERA: *vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua vivifica me* (*ps. 118, 159*).

I. Obedientia (v. 17).

1. Versiculo 7 docuit nos imitari praepositos mortuos; hoc loco praepositis vivis obedire (*obedite*), eosque revereri (*subjacete eis*).

2. Motivum unum suppeditat verbis: *quasi rationem pro animabus vestris reddituri;* quod incitat ipsos praelatos ad sanctum timorem, et subditos ad obedientiam et reverentiam ex caritate. Motivum alterum includitur verbis: *ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim non expedit vobis*, a. v. gravissimas vobis induceretis poenas. S. Jo. Chrys. ait: »gemitus praelati omni ultione deterior est; invocat enim Dominum ut Ipse puniat."

3. Examinabo me circa obedientiam executionis, voluntatis, intellectus.

II. Oratio pro invicem (v. 18—21).

Ratio cur audeat rogare preces Hebraeorum, qui ei olim plus minusve infesti erant, est, quia confidit eis, quoniam conscientia ei testis est eum de nullo eorum demeritum esse, immo omnibus prodesse sincere velle; et eo instantius petit ut citius possit iis reddi et apostolica cura iis opitulari. — Sic ego jam confidere possum Sanctos quos colo, et animas purgatorii quibus precibus et indulgentiis opem ferre studeo, pro me vicissim orare Deum . . . .

Dein orat ipse pro lectoribus suis. Perpende singula verba, et disce quomodo et quid pro aliis debeas orare.

Deus pacis: i. e. salutis christianae. Septies occurrit haec locutio in epistolis S. Pauli.

qui eduxit: *in altum* Eum, qui *captivam duxit captivitatem*. (cf. ps. 67, 19; supra p. 42 et 43).

pastorem magnum ovium: quid non rogare possum a Pastore, qui animam posuit pro ovibus suis?

in sanguine testamenti aeterni: his vocibus continetur recapitulatio totius epistolae.

Dominum nostrum Jesum Christum: quoties sacerdos haec verba enuntiat? Num ego semper magna cum devotione?

aptet vos in omni bono: i. e. perficiat vos in usu bonorum operum.

ut faciatis Ejus voluntatem: eo fine ut

exsequamini omne id quod a vobis fieri vult. — Denotat actum libertatis humanae.

faciens in vobis quod placeat coram Se: denotat gratiae auxilium, sine quo nullus actus salutaris, nec perseverantia haberi potest.

per Jesum Christum: cui est gloria in saecula saeculorum: epistola coepit a laude Jesu Christi et laude Jesu Christi clauditur. Et merito quidem. Ipse enim est *alpha et omega*, *primus et novissimus*, *principium et finis* (Apoc. 22, 13).

III. Modestia in sermone (v. 22—25).

1. Perpende quam sancte et modeste roget (v. 22), certiores faciat lectores (v. 23), salutet (v. 24), optet summum bonum (v. 25).

2. O, si de omnibus clericis dici posset, quod B. Petrus Canisius dicebat de B. Petro Faber: »nullum ex illius ore verbum sive in usu familiarique congressione, sive dum mensae accumbit, prodire audio, nisi quod Dei honorem, et pietatem sonet; neque tamen ob facundiam audientibus gravis aut molestus est.''

3. Examinabo me et faciam distinctum propositum.

IV. Verbum solatii (v. 22a).

1. Tota epistola vocatur *verbum solatii* (gr. sermo excitationis vel adhortationis). Est enim ut vidimus (n°. 62, III, 1) adhortatio ad

servandam fidem ex sancto timore et ex pia fiducia.

2. Quoad timorem recolam: *2, 3: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? 4, 1: timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse; 10, 31: horrendum est incidere in manus Dei viventis;* 12, 25 et 29.

Quoad fiduciam: *2, 3 tantam salutem .... 4, 16: adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae .... 6, 18: ... fortissimum solatium .... 10, 23, 35.*

3. Quomodo ego, clericus, observo illud: *3, 13: adhortamini vosmetipsos per singulos dies; 10, 24: et consideremus invicem in provocatione caritatis, et bonorum operum: 25: ... consolantes* (gr. exhortantes), *et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.*

COLLOQUIUM: per singulas voces v. 20 et 21.

L. D. M.

Appendices.

Usus liturgicus sex Epistolarum.

(*M* = in Missali; *B* = in Breviario.)

Festa mobilia.

Pag.

B. Feria quarta infra hebd. III post Epiph.: Eph. 1, 1—14 . . . . . *1, 6*
» Feria quinta: Eph. 4, 1—15 . . . . *42*
» Feria sexta: Eph. 5, 1—14 . . . . *59, 61*
» Sabbato: Eph. 6, 1—13 . . . . *77, 81, 85*
» Dom. V post Epiph.: 1 Tim. 1, 1—16 *101, 105, 111, 115*
» Feria secunda: 1 Tim. 3, 1—16 et 4, 1 *130, 136, 141*
» Feria tertia: 2 Tim. 1, 1—13. *192, 196, 200, 206*
» Feria quarta: 2 Tim. 3, 1—13 . . . *236, 241*
» Feria quinta: Tit. 1, 1—15 . . . *254, 259, 263*
» Feria sexta: Tit. 2, 15 et 3, 1—11 . *276, 278, 283*
» Sabbato: Philem. 1—19 . . . . . *287*
» Dom. VI post Epiph. Hebr. 1, 1—14 . *304*
» Feria secunda: Hebr. 3, 1—16 . . *324, 328*
» Feria tertia: Hebr. 4, 1—12 . . . . *331*
» Feria quarta: Hebr. 6, 1—10. . . *341, 348*
» Feria quinta: Hebr. 7, 1—12. . . *351, 358*
» Feria sexta: Hebr. 11, 1—10. *405, 409, 413*
» Sabbato: Hebr. 13, 1—12 . . . . *447, 451*

Pag.

M. Feria tertia post Dom. Sept.: Orationis D. N. J. C.: Hebr. 5, 5—10 . . . *339*
» Dom. III in Quadragesima: Eph. 5, 1—9. *59, 61*
B. Feria sexta post Dom. IV Quadr.: Pret. Sanguinis D. N. J. C. Hebr. 9, 11—22 *382*
Hebr. 10, 19—24 *392*
M. Dom. de Passione: Hebr. 9, 11—15 . *382*
» In Vigilia Ascensionis: Eph. 4, 7—13 *45*
» Feria sexta post Oct. Corporis Christi: Sacr. Cordis Jesu: Eph. 3, 8—19 . *36, 38*
B. eadem Feria, etiam aliquibus locis:
Eph. 1, 1—7 et 15—18. *1, 6, 14*
Eph. 2, 4—7 et 14—18. *23, 29*
Eph. 3, 14—21. . . . *29, 30*
M. Dom. XVI post Pent.: Eph. 3, 13—21. *37, 38*
» Dom. XVII post Pent.: Eph. 4, 1—6 . *44*
» Sabbato Quattuor Temporum Septembris: Hebr. 9, 2—12. . . . . *378, 382*
» Dom. XIX post Pent. Eph. 4, 23—28. *52, 55*
» Dom. XX post Pent. Eph. 5, 15—21. *66*
» Dom. XXI post Pent. Eph. 6, 10—17. *85*

Festa immobilia.

M. 4 Dec.: S. Petri Chrysologi: 2 Tim. 4, 1—8 . . . . . *245*
» 6 Dec.: S. Nicolai: Hebr. 13, 7—17. *451, 464*
» 7 Dec.: S. Ambrosii: 2 Tim. 4, 1—8. *245*
» 11 Dec.: S. Damasi: Hebr. 7, 23—27.
» 25 Dec.: ad primam Missam: Tit. 2, 11—15. *271*
ad secundam Missam: Tit. 3, 4—7. *280*
ad tertiam Missam: Hebr. 1, 1—12. *304*

Pag.

M. 29 Dec.: S. Thomae: Hebr. 5, 1—6. *337*
» In Missa de Octava Nativitatis Domini: Tit. 3, 4—7 . . . . . *280*
» 31 Dec.: S. Sylvestri: 2 Tim. 4, 1—8. *245*
» 1 Jan.: In Circumcisione Domini: Tit. 2, 11—15. . . . . *271*
» 20 Jan.: Ss. Fabiani et Sebastiani: Hebr. 11, 33—39. . . . . *430*
» 24 Jan.: S. Timothei: 1 Tim. 6, 11—16. *171, 176*
» 27 Jan.: S. Joannis Chrysostomi: 2 Tim. 4, 1—8. . . . . *245*
» 3 Febr.: S. Blasii: Hebr. 11, 33—39. *430*
» 6 Febr.: S. Titi: 1 Tim. 3, 1—7; Tit. 1, 7—11; 2, 1—8. *130, 261, 264, 267*
» 10 Mart.: Ss. 40 Martyrum: Hebr. 11, 33—39. . . . . *430*
» 12 Mart.: S. Gregorii: 2 Tim. 4, 1—8. *245*
» 16 Aprilis: S. Ben. Jos. Labre: 1 Tim. 6, 6—12 . . . . . *169, 171, 176*
» 23 Aprilis: S. Georgii: 2 Tim. 2, 8—10 et 3, 10—12. . . . . *218, 241*
» 29 Aprilis: S. Petri: 2 Tim. 2, 8—10 et 3, 10—12. . . . . *218, 241*
» 4 Maji: S. Monicae: 1 Tim. 5, 3—10. *158*
» 14 Junii: S. Basilii: 2 Tim. 4, 1—8. *245*
» 23 Junii (alibi 15 Julii): B. Gasp. del Bufalo: Eph. 1, 3—7 . . . *7*
» 28 Junii: S. Leonis: Hebr. 7, 23—27. *364*
» Dom. I Julii: Pret. Sanguinis D. N. J. C.: Hebr. 9, 11—15. . . . . *382*
» Dom. I non impedita post Oct. Ss. Ap. P. et P.: in commemoratione omnium Ss. Summorum Pontificum: Hebr. 13, 7—17. *451, 464*

Pag.

B. 4 Julii: S. Irenaei: 2 Tim. 2, 15—26. *226, 228, 232*
2 Tim. 3, 1—13. . *236, 241*
2 Tim. 3, 14—17 . . *244*
2 Tim. 4, 1—5 . . . *245*

M. 5 Julii: S. Ant. Mar. Saccaria: 1 Tim. 4, 8—16 . . . . . *149, 151*

» 7 Julii: Ss. Cyrilli et Methodii: Hebr. 7, 23—27 . . . . . *364, 369*

» 14 Julii: S. Bonaventurae: 2 Tim. 4, 1—8. *245*

» 17 Julii: S. Alexii: 1 Tim. 6, 6—12. *169, 172*

» 31 Julii: S. Ignatii: 2 Tim. 8—10 et 3, 10—12 . . . . . *218, 241*

» 2 Aug.: S. Alph. Mar. de Ligorio: 2 Tim. 2, 1—7. . . . . *213*

» 4 Aug.: S. Dominici: 2 Tim. 4, 1—8. *245*

» 28 Aug.: S. Augustini: 2 Tim. 4, 1—8. *245*

» 12 Oct.: B. Cam. Constantii, Aug. Otae S. J. et Sociorum: Hebr. 11, 33—39 . . . . . *430*

» 14 Oct.: S. Callisti: Hebr. 5, 1—4 . *338*

» 23 Oct.: Sanctissimi Redemptoris: Eph. 1, 3—9. . . . . *6*

» 28 Oct.: Ss. Ap. Simonis et Judae: Eph. 4, 7—13 . . . . . *45*

» 7 Nov.: S. Willebrordi: Hebr. 13, 7—17. *451, 464*

B. Dom. infr. Oct. Omnium Ss.: Omnium Ss. Soc. Jesu: Eph. 1, 2—12 . . *2, 6*
Eph. 4, 1—13 et 15 *42*

» 11 Nov.: S. Martini: 1 Tim. 3, 1—7. *130*
Tit. 1, 7—11. *261, 264*
Tit. 1, 1—15. *267, 271*

M. 14 Nov.: S. Josaphat: Hebr. 5, 1—6. *338*

» 26 Nov.: S. Leonardi a Portu Mauritio: Eph. 1, 3—14. . . . . *6*

Pag.

B. Commune Confessoris Pontificis: in 1°
Noct.: 1 Tim. 3, 1—7. . . . . *130*
Tit. 1, 7—11 . . . . *261, 264*
Tit. 2, 1—8. . . . . *267*
M. Commune unius Martyris non Pontificis
(2° loco): 2 Tim. 8—10 et 3, 10—12. *218, 241*
» Commune plurimorum Martyrum (3°
loco): Hebr. 10, 32—38 . . . . *401*
» Commune Confessoris Pontificis (2° loco):
Hebr. 7, 23—27 . . . . . *364*
» Commune Doctorum: 2 Tim. 4, 1—8. *245*
» Commune pro Vidua: 1 Tim. 5, 3—10. *158*
» Missa votiva de B. M. V. a Nat. Domini
usque ad Pur.: Tit. 3, 4—7 . . . *280*
» Missa pro eligendo Summo Pontifice:
Hebr. 4, 16 et 5, 1—7. . . . . *336*
» In Anniversario Electionis seu Conse-
crationis Episcopi: Hebr. 5, 1—4 . *338*
» Missa ad tollendum schisma: Eph. 4,
1—21 . . . . . *42, 49*
» Missa pro Sponso et Sponsa: Eph. 5,
22—33 . . . . . *70*
» Missa votiva pro Feria III: de Ss. Apos-
tolis: Eph. 4, 7—13. . . . . *45*

Orationes vocales.

(Vide pag. XIII.)

		Pag.
1.	Gratiarum actio ad S.S. Trinitatem . .	*6*
2.	Psalmus gratiarum actionis (ps. 102) .	*8–12*
3.	Ad impetrandam Sapientiam (Sap. 9, 4—12)	*17*
4.	Laus Dei (ps. 72)	*25*
5.	Consecratio ad S. Cor Jesu	*31*
6.	Laus Ecclesiae et Christi (ps. 44) . . .	*75*
7.	Oratio religiosi ad impetrandam virtutem obedientiae	*78*
8.	Oratio in periculis animi (ps. 24, 1—4[a])	*87*
9.	Oratio (Episcopi) pro Sacerdotibus (e Pontificali)	*93*
10.	Ad impetrandam sanctimoniam. . . .	*175*
11.	Desiderium videndi Deum	*181 s.*
12.	Oratio ad B. Mariam V. ad impetrandam abnegationem rerum terrenarum . .	*187*
13.	Oratio ad conservandam gratiam . . .	*191*
14.	Ad resuscitandam gratiam	*202*
15.	Pro Ecclesia (Eccli. 36, 15—18) . . .	*239*
16.	Oblatio mortis	*316*
17.	Oblatio sui (»Sume, Domine, et suscipe")	*316*
18.	Ante Missam vel Communionem (Imit. 4, 17)	*371*
19.	Petitio cultoris S. Cordis Jesu	*374*

Pag.

20. Jubilus amantis animae *385*
21. Ad B. Mariam sub cruce *386*
22. Affectus amoris erga Jesum. *411*
23. Consecratio sui ad B. Mariam *422*
24. Ad Matrem boni consilii. *427*
25. Oratio ad conservandam castitatem . . *449*
26. Gratiarum actio pro donis Scripturae et Eucharistiae (Imit. 4, 11). . . . *452 s.*

Meditationes pro recollectione menstrua.

		Pag.
1.	Primum et magnum praeceptum moralitatis Christianae	49
2.	Pugna spiritualis	85
3.	Lex vetus et lex nova	111
4.	Sanctitas clericalis	171
5.	Gratia sacerdotalis, beneficia Dei, exemplum S. Pauli	200
6.	Fortitudo	213
7.	Virtutes activae et passivae	232
8.	Dotes boni Sacerdotis	259
9.	Processus mali inter homines	263
10.	Lignum viride	341
11.	Characteres Christi Pontificis	369
12.	Examen circa quattuor mandata	447

246.731
Z34

46454

AUTHOR ZEIJ, S. J., JAC. JO.

TITLE Clericus Solide Institutus Juxta Doctrinam S. Pauli.

DATE DUE | BORROWER'S NAME

STORAGE - CBPL

46454